



**Commentariorvm, Ac Dispvlationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

8 V. Christus suo descensu liberauerit animas à purgatorio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

latus fuit animalis post hanc vitam, ubi non sunt capaces animarum immutationis prædictæ. Et ideo per baptismum pueri liberantur a peccato originali, & ab inferno: non autem per descensum Christi ad inferos.

COMMENTARIUS.

Christus descendens in infernum pueros in limbo existentes non liberavit.

Responsio Dni Thomæ est, Christum Dominum non liberasse eos pueros ab æterna pœna damni, quam patiuntur. Ratio eius est, quia Christus descendens ad inferos, in illis solis effectum liberationis habuit, qui per fidem & charitatē passioni Christi coniungebantur, & similiter illis solis contulit gloriam, qui gratiam habebant, cum gloria non comparetur nisi per gratiam. Sed dicit aliquis hoc esse, quod inquiritur, scilicet an Christus descendens ad infero aliquibus contulerit charitatem & gratiam, quam ante non habebant. Videtur enim hoc fieri potuisse saltem in iis paruulis, qui non habebant voluntatem ita repugnantem diuinæ dilectioni, sicut alij damnati, qui sunt in inferno. Ad hoc ergo respondet Dñus Thomas in sol. ad 3. Tempus à Deo deputatum, ut possit homo transmutari de culpa in gratiam, esse tempus huius vitæ, post illam verò iam non esse tempus huius transmutationis. Et hæc est ratio à priori assertionis tam huius articuli, quam præcedentis. Illa enim pœna ex diuina lege est æterna, & ideo descendens Christus ad inferos illam non immutauit, neque huiusmodi damnatis sua merita applicuit. Quæ ratio alio etiam modo explicari potest ex solutione ad 1. scilicet, neminem peruenire ad Dei visionem nisi per fidem: at hi paruuli nunquam habuerunt fidem Christi, & ideo non fuerunt capaces, ut per visionem beatam ab illo statu viæ, neque meriti, ita non erat status acquirendi fidem, per quam perueniretur ad speciem.

Nemo saluatur, nisi prius in vita fidem & gratiam habuerit.

Ex qua doctrina obiter obserua, neminem saluari, qui non prius in hac vita fidem, & gratiam saltem habitualement habuerit. Quod vile est ad definiendam illam questionem, de infantibus, qui per martyrium saluantur, an iustificentur, ante instantis mortis, nec ne. Quod queri etiam solet de infante baptizato, si contingat eum mori in eodem instanti, in quo baptismus perficitur. Ex quibus etiam questionibus possent desumi argumenta contra discursum D. Th. in hoc ar. si verum esset in eis casibus posse hos infantes immediate ad gloriam pertransire, etiam si in hac vita nec fidem, nec gratiam essent consequuti. Responderi verò potest esse dissimilem rationem, quia illi in hac vita receperunt ordinaria media destinata ad salutem consequendam, nimirum baptismum aquæ vel sanguinis, & ita quodammodo dici possunt habuisse fidem, quia habuerunt baptismum, vel professionem fidei in actu exercito. Veritas tamen est, infantibus martyribus dari gratiam ante mortis instantis, quando iam naturaliter amplius viuere non possunt. In illo autem casu de baptismo, existimo illum non esse baptismum essentialiter perfectum, de festu subiecti, ideoque nec conferre gratiam, nec fidem ante mortis instantis, nec postea. De qua re latius in materia de baptismo.

Rom. 5.

In solutione ad 2. recte exponit D. Thomas locum illum ad Rom. 5. Non sicut delictum, ita & donum. Si enim vnus delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnus hominis Iesu Christi in plures abundauit. Dicit enim, verbum illud, in plures, non esse sumendum comparatiuè, sed positiuè, ut videtur in plures, quod in multos. Quæ expositio, licet videatur difficilis, quia Paulus comparisonem videtur facere, cum dicit, multo magis, tamen est communis omnium, & omnino vera, ac necessaria. Tum quia quoad effectum, seu efficaciam plures homines condemnantur, quam saluantur (ut recte D. Thom.

D Thom.

doce) & tam ex scriptura, quam ex re ipsa est satis notum: eius rei causam attigimus superiori tomo disp. 4. sect. 4. Tum etiam quia quoad sufficientiam, omnes ex quo ceciderunt in Adamo, & redempti sunt per Christum. Comparatio ergo Pauli hoc loco non fit in numero personarum: sed in maiori dignitate perfectæ Christi, maiori que virtute gratiæ eius, quantum est ex parte illius. Quod euidentius patet ex textu Græco. Nam nos legimus, multi & plures Græcis est eadem vox, nempe, πολλοί, & πολλοί.

ARTICVLVS VIII.

Virum Christus suo descensu liberavit animas à purgatorio.



Octauum sic proceditur. Videtur, quod Christus suo descensu ad inferos, liberavit animas à purgatorio. Dicit enim Augustinus in epistola ad Euodium. Quia euidencia testimonia, & infernum commorant, & dolores, nulla causa occurrunt, cur illo credatur venisse Saluator, nisi ut ab eisdem doloribus saluos faceret. Sed virum omnes, quos in eis inuenit, an quosdam, quos illo beneficio dignos iudicauit, adhuc requiro: fuisse tamen Christum apud inferos, & in eorum doloribus constitutis hoc beneficium præstitisse non dubito. Non autem præstitit beneficium liberationis damnatis, sicut supra dictum est. Præter eos autem quæsi, nulli sunt in doloribus penalibus constituti, nisi illi, qui sunt in purgatorio. Ergo Christus animas de purgatorio liberavit.

2. Præterea. Ipsa Christi præsentia non minorem effectum habuit, quam sacramenta ipsius. Sed per sacramenta Christi liberantur animæ à purgatorio, & præcipue per Eucharistiæ sacramentum, ut infra dicitur. Ergo multo magis per præsentiam Christi ad inferos descendens sunt animæ à purgatorio liberata.

3. Præterea Christus quoscunque curauit in hac vita totaliter curauit, ut Aug. dicit in lib. de Penitentia, & Ioan. 7. Dominus dicit, Totum hominem saluum feci in sabbato. Sed & falsa passio Christi eos qui in purgatorio erant, liberavit à reatu pœnæ damni, quo excluderentur à gloria. Ergo etiam liberavit eos à reatu pœnæ purgatorii.

Sed contra est, quod Gregorius dicit in 13. Moral. Dum conditor ac redemptor noster claustra inferni penetrans, electorum exinde animas eduxit, nos illo ire non patitur, unde iam alios descendendo liberavit. Passus autem nos ire ad purgatorium: ergo descendens ad inferos, animas à purgatorio non liberavit.

Respondet ad dicendum, quod (sicut supra dictum est) descendens Christus ad inferos, liberatorius fuit in virtute passionis ipsius. Passio autem non habet temporalem virtutem transitoriam, sed sempiternam, secundum illud Hebr. 10. Vna oblatione consummatus in sempiternum sanctificatus. Et sic patet, quod non habuit tunc maiorem efficaciam passio Christi, quam habet nunc. Et ideo illi, qui fuerunt tales quales nunc sunt, qui in purgatorio detinentur, non fuerunt à purgatorio liberati per descensum Christi ad inferos. Si qui autem inueniuntur tales, quales etiam nunc virtute passionis Christi à purgatorio liberantur, tales nihil prohibet per descensum Christi ad inferos, à purgatorio esse liberatos.

Ad primum ergo dicendum, quod ex illa auctoritate Augustini, non potest concludi, quod omnes illi qui in purgatorio erant, fuerint à purgatorio liberati, sed quod aliquibus eorum fuerit hoc beneficium collatum: illis scilicet, qui iam sufficienter purgati erant, vel etiam qui dum adhuc viuerent, meruerunt per fidem & deuotionem ad mortem Christi, ut eo descendente, liberarentur à temporali purgatorii pœna.

Ad se.

Ad secundum dicendum, quod virtus Christi operatur in sacramento per modum sanitationis. & expiationis cuiusdam. Vnde Sacramentum Eucharistie liberat hominem à purgatorio, in quantum est sacrificium quoddam satisfactorium peccato. Descensus autem Christi ad inferos non fuit satisfactorius, operabatur tamen in virtute passionis, quæ fuit satisfactoria: ut supra habitum est. Sed erat satisfactoria in generali, cuius virtutem oportebat applicari ad vnumquemque, per aliquid specialiter ad ipsum pertinens. Et ideo non oportet, quod per descensum Christi ad inferos, omnes fuerint à purgatorio liberati.

Ad tertium dicendum, quod illi defectus, à quibus Christus in hoc mundo simul homines liberabat, erant personales proprie ad vnumquemque pertinentes, sed exclusio gloriæ Dei, erat quidam defectus generalis pertinens ad totam humanam naturam. Et ideo nihil prohibet eos, qui erant in purgatorio, per Christum esse liberatos ab exclusione à gloria: non autem à reatu pene purgatorii, qui pertinet ad proprium defectum. Sicut è contrario Sancti Patres ante Christi aduentum liberati sunt à defectibus: non autem à defectu communi, sicut supra dictum est.

COMMENTARIUS.

Non est facilis doctrina D. Thom. in hoc articulo: duas enim assertiones statuit. In prima negat Christum descendendo ad inferos liberasse omnes animas, quæ in purgatorio erant, redditque rationem. Quia passio Christi non habuit tunc maiorem efficaciam, quam nunc habeat: quia eius virtus non est transitoria, sed eadem semper: sicut ergo nunc non liberat omnes animas à purgatorio, donec soluant, ita nec tunc. Deinde vero subiungit secundam assertionem in hæc verba. Si qui autem inuenti sunt tales, quales etiam nunc, virtute passionis Christi à purgatorio liberantur, nihil prohibet per descensum Christi ad inferos à purgatorio esse liberatos. Affirmat ergo Christum descendendo ad inferos aliquos à purgatorio liberasse. Quam assertionem non aliter probat, videtur tamen eam posuisse propter auctoritatem Augustini, quam in argumento primo refert, ut in eius resolutione clarius explicat. In hac verò doctrina primum difficilis est ratio Diui Thomæ in prima assertionem, quia simili ratione posset concludi, nostra Sacramenta non magis iustificare nunc ex opere operato, quam Sacramenta vetera, quia virtus passionis Christi semper est eadem. Quod si dicas, licet in se sit eadem, tamen aliter operari in vno tempore, & aliter in alio: eadem ratione concludam, licet in se sit eadem, plura tamen operari in vno tempore, quam in alio, & interdum per vnum medium, interdum per aliud. Sicut ergo nunc applicatur virtus passionis per suffragia Ecclesiæ ad liberandas animas à purgatorio, ita potuit tunc applicari per descensum ad inferos, vel per impetrationem Christi, qui propter suæ præsentis dignationem potuit hoc meritò postulare. Deinde est difficultas, quomodo coherereat secunda assertio cum ratione ad probandam priorem assertionem adducta. Interrogo enim, qui sunt illi, qui liberati sunt? si dicatur (ex solutione ad 1.) fuisse eos, qui sufficienter purgati erant: hoc certe nihil est, quia si iam ipsi sufficienter soluerant, non sunt per Christi descensum liberati à purgatorio. Nam eodem tempore reducerentur, etiam si Christus illuc non descendisset: quamquam tunc non fuissent statim assumpti ad visionem beatam, sicut modo fuerunt: per hoc tamen non tam fuerunt liberati à purgatorio, quam à Sinu Abraham, & à pœna, quam ibi reliqui Patres sancti sustinebant. Si vero dicas (ex eadem solutione ad 1.) liberatos fuisse eos, qui dum adhuc viuerent, meruerunt per fidem, & deuotionem ad mortem Christi, ut eo descendente liberarentur à temporalis purgatorii pœna:

Fr. Suarez tom. 2.

quæro rursus, an isti per illam fidem, & deuotionem reuera meruerint in hac vita remissionem alicuius pœnæ, & illa tantum remissa fuerit in purgatorio: & si hoc dicatur, redit argumentum factum, quod illis nulla facta sit remissio propter descensum Christi, sed suis actibus, & pœnis sufficienter soluerint. Vel præter omne meritum, & satisfactionem ipsorum operantium aliqua pœna gratis remissa est à Christo ad inferos descendente propter priorem fidem, & deuotionem tanquam propter dispositionem aliquam, vel meritum de congruo. Et contra hoc procedit ratio articuli, quia nunc nullus liberatur gratis à purgatorio virtute passionis Christi, etiam si æqualem, vel maiorem fidem, & deuotionem habuerit ad passionem, quam illa anima habuerit: ergo neque ille gratis liberatus fuit: quia virtus passionis semper est eadem. Quod si cæteris existentibus partibus ex parte animarum, aliqua tunc liberata fuit, quæ nunc non liberatur, iam falsa est propositio, quam D. Thom. in priori parte articuli posuit, scilicet, Illi qui fuerunt tales, quales nunc sunt, qui in purgatorio detinentur, non fuerunt à purgatorio liberati per descensum Christi ad inferos.

Respondetur nihilominus D. Thom. doctrinam per descensum Christi ad inferos esse liberatas, neque de omnibus negaret. Fundamentum autem primæ assertionis ita videtur explicandum, quod passio Christi de se solum est quædam vniuersalis causa, quæ licet virtutem habeat sufficientem ad saluandum: tamen re ipsa non saluat, neque liberat à pœnis, nisi per convenientia media applicetur. Descensus autem ad inferos per se non erat medium quasi certa lege statutum ad applicandam Christi passionem, & satisfactionem, & ideo per se, & infallibiliter non laborauit Christus nisi eos, quibus per fidem vitam, & sufficientia media, erat Christi passio applicata ad perfectam remissionem peccatorum, ut erant propria vniuersalique personæ, quia iam per mortem Christi erat impedimentum naturæ ablatum. Vnde tandem concluditur, nulla sufficienti ratione affirmari posse, Christum generaliter omnes animas purgatorii liberasse. Et contra hanc rationem sic explicatam non procedit obiectio. Nam virtus passionis secundum ordinariam legem applicari solet per Sacramenta, & ita hæc sunt media per se statuta ad hunc effectum, ideoque potest aliter applicari per quædam sacramenta, & aliter per alia: descensus autem ad inferos non fuit medium institutum ad applicanda merita, & satisfactionem passionis Christi. Et ideo quamuis fateamur, potuisse Christum sua voluntate, vel impetratione applicare illis sua merita, & pro illis solvere, nullum tamen est fundamentum ad asserendum ita esse factum. Et hinc responderi potest ad secundam difficultatem, quomodo hæc ratio non repugnet secundæ assertioni. Nam illa solum probat, non esse id asserendum generaliter de omnibus, quia ad hoc oporteret esse aliquam certam legem: tamen si in aliquibus inuenta fuit aliqua specialis ratio seu congruitas, pie, ac probabiliter credi potest, beneficium hoc illis esse concessum. Hæc autem specialis ratio, & congruitas videtur fuisse sufficiens in iis, qui singularem aliquam perfectionem fidei ac deuotionis erga Christum, vel passionem, aut gloriam eius habuerunt. Neque obstat, quod aliqua anima, quæ nunc habent tantam fidem, & deuotionem, non statim à purgatorio liberentur. Quia non dicimus satis esse ipsam fidem, vel deuotionem, nisi simul intercedat aliqua alia causa vel occasio, ob quam congruum sit, hoc beneficium liberationis alicui concedi. Vnde illa comparatio, quam D. Tho. fecit inter eos, qui nunc sunt, & qui tunc erant in purgatorio: cum hac proportionem intelligenda videtur. Quod sicut nunc aliqua anima liberatur à pur-

Pp 2 pur-

purgatorio per passionem Christi non ex lege iustitiae, sed ex Dei benignitate propter aliquam congruentiam fundatam aliquo modo in fide, & merito illarum: ita ex simili benignitate, liberatae sint aliquae aliae, in quibus similis fides, & meritum inuentum est, quando Christus ad inferos descendit. Et haec dicta sunt ad explicandam mentem D. Thomae. De re vero ipsa non nihil postea addemus.

DISPUTATIO XLIII.

In quatuor Sectiones distributa.

De statu quem anima Christi habuit à corpore separata.

Supponimus animam Christi Domini eo tempore, quo fuit à corpore separata, fuisse plenè, perfectèq; beatam quoad visionem, amorem ac fructum Dei, retinuisseque omnes perfectiones scientiae, & gratiae, quibus cum esset coniuncta corpori, praedita erat, vel in substantia sua, vel in intellectu, & voluntate. Quod est omnino certum: tum quia haec perfectiones non pendunt à corpore, unde si est certum fuisse beatam in corpore (vt in 1. tomo probatum est) multo magis extra. Tum etiam quia de fide est mansisse unitam verbo Dei, ratione cuius unionis omnia haec illi debentur. Deniq; quia etiam propter infinita merita debitum illi esse potuit, vt nunquam eis priuaretur. Cum enim propter ea merita potuerit etiam alios eo tempore beatificare, multo magis necessarium fuit eam tunc fuisse beatam. Quia vero fieri potuit, vt anima illa existens in corpore, simul aliquid passa fuerit, vel ab extrinseco agente, vel per internam cogitationem, ideo inquirendum superest, an idem acciderit Christi animae iam separatae à corpore. Primo ergo inquiremus, an statim in morte facta sit omnino impassibilis, atque adeo ex omni parte beata, deinde vbi fuerit, ac tandem quid egerit.

SECTIO I.

An anima Christi per separationem facta sit omnino impassibilis.

Prima sententia est haereticorum huius temporis, animam Christi post mortem non solum fuisse passibilem, sed etiam poenas inferni pertulisse: & (quod mirandum maxime est) non loquuntur de aliqua poena sensus proueniente ab agente extrinseco verbi gratia, igne (hanc enim ipsi etiam in aliis spiritibus esse negant) sed loquuntur de interna, & spiritali afflictione proueniente ex interna cogitatione, qua (vt inquit) apprehendebat Deum, vt sibi iratum, & infestum, & ideo de sua salute timebat. Vnde necesse erat anxietatem magnam animi, ac diros cruciatus pati. Ita docuerunt Caluinus, & Brennius, quos alij sequuti sunt. Fundamentum eorum fuisse videtur, vt exaggerarent Christi cruciatus, & dolores, & credibile redderent (quod vehementer optabant) nostras satisfactiones iam non esse necessarias. Vnde videntur illa ratione vti, quam supra circa art. 1. D. Thom. attingimus. Quia Christus debuit sustinere omnes poenas, quas nostra peccata merebantur, iuxta illud Isaia 53. *Disciplina pacis nostrae super eum.* Sed nostra peccata merebantur gehennae poenam, ergo oportuit, vt Christus illa etiam afficeretur. Praeterea mouere eos potuit, quia ipsi non agnoscunt proprium infernum, qui sit locus corporeus, & subterraneus, & ideo, vt explicent Scripturas dicentes, Christum descendisse ad inferos, explicant, hoc nihil aliud fuisse, quam humiliatum es-

se vsque ad poenas inferni patiendas. Adhibentur rursus aliqua Scripturae testimonia, ita perperam intellecta, vt in eis referendis immorari inutile sit. Praesertim quia potissima sunt ea, in quibus explicatur timor, & tristitia, ac magna poena, quam Christus in passione & cruce sustinuit. Propter quae in eam dementiam Caluinus incidit, vt diceret, Christum ab initio suae passionis, seu ab ea tristitia, quam est in horto passus, praedictos inferni dolores sensisse. Ea vero omnia testimonia partim in priori tomo (vbi in genere de tristitia, ac timore Christi egimus) partim in superioribus disputationibus. (vbi haec mysteria in particulari tractauimus) exposita sunt, nonnulla etiam attingemus in sequenti sententia, quia illi communia sunt.

Secunda sententia esse potest, Christi animam post mortem fuisse passibilem, non passione aliqua inordinata, quae aliquam culpam, vel errorem, aut ignorantiam supponat: sed passione innoxia, & irreprehensibili. Vel interna, qualis esse posset tristitia aliqua de hominum peccatis, aut de poenis damnatorum, quatenus mala eorum sunt, vel quid simile. Vel quasi extrinseca, vt v.g. poena ignis, aut alia simili. Ita enim aliquos sensisse refert hic Medina. Et quamuis neminem pro hac sententia referat, significat tamen fuisse Catholicos, neque ipsorum sententiam damnat, vt haereticam, sed tantum, vt temerariam. Quia licet dicerent Christum passum fuisse poenas damnatorum: non tamen eo modo, quo damnati, scilicet inuoluntarie, aut cum interna deordinatione: sed voluntarie pro peccatis nostris, & ex maxima charitate. Bonau. etiam in 3. d. 21. art. 2. q. 1. incertum esse dicit, an anima Christi statim post mortem fuerit impassibilis, quamuis probabilius id existimet: & eum sequutus est Gabriel ibi, dub. vlt. Potestque haec sententia fundari in illo Act. 2. *Quem Deus suscitauit a mortuis solutus doloribus inferni.* Nam his verbis significatur in resurrectione solutam fuisse Christi animam à doloribus inferni. Item Psalm. 57. in persona Christi dicitur, *Dolores inferni circumdederunt me.* Et infra 87. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, & in umbra mortis.* Ratio etiam adiungi potest, quia non fuit repugnantia, quod anima Christi separata à corpore, etiam si videret Deum, pateretur. Quia sicut passa est per corpus, ita etiam pati potuit immediate, quia tristitia & dolor veròq; modo redundat in eandem voluntatem, non est ergo repugnantia. Neque etiam est indecentia. Quia non est contra aliquam virtutem: imo potuit esse opus magnae charitatis, & accommodatum ad exaggerandam malitiam peccati. Deniq; propter has causas in corpore separato ab anima aliquid pati voluit, ergo etiam in ipsa anima separata à corpore pati potuit.

Tertia sententia referri potest, animam Christi Domini in triduo aliquam poenam extrinsecam, & (vt ita dicam accidentariam) fuisse perpessam: non ita, vt eam aliquo dolore, vel tristitia afficeret: sed ita, vt aliquo accidentario bono eam priuaret. Ita Caieta. vt supra vidimus in commentario articuli quinti.

Dico tamen primo, animam Christi neque in corpore, neq; à corpore separatam passam esse internos cruciatus, & afflictiones, quas damnati patiuntur, ex eo quod apprehendit Deum sibi iratum, & quia de sua salute desperant. Haec assertio est de fide, & contraria est haeretica, & blasphema. Et in primis quod Christus in passione nec fuerit incertus de sua salute, nec formidauerit, quin pater se, suamque humanitatem diligeret, satis in priori tomo, & in hoc etiam in superioribus demonstratum est: & illa Christi verba sufficiunt, quae Caiapha dixit. *A modo videbitis filium hominis venientem in nubibus caeli, &c.* Et quae dixit latrohi, *Hodie mecum eris in paradiso.* Quae ponderans Hilarius libro decimo de Trinitate, quasi

Medina.

Bonau.

Gab.

Act. 2.

Psalm. 57.

Psalm. 87.

Caieta.

Anima Christi cruciatus damnatorum nullo modo passa.

Matth. 27.

Luc. 23.

Hilar.

Luc. 23.

Isaia 53.

quasi nouos hæreticos impugnās. Annetibi, (inquit) metueret infernum credendum est, dicens latroni, hodie mecum eris in paradiso? Dominus communionem ei paradisi mox pollicetur, tu Christum sub pœnali terrore constituis? Illa etiam verba, quæ Christus dixit mulieribus, non parum veritatem hanc declarant. Nolite flere super me, sed super vos ipsas flere: quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Ac si diceret, se tantum pati temporalem pœnam: grauiorem vero peccatoribus seruaturam esse. Præterea hi hæretici non solum supponunt Christi animam non vidisse Deum in hac vita mortali: sed etiam faciunt illam ignorantem, & subiectum erroribus, & inordinatis, atque indeliberatis motibus? imo & peccatis, vel desperationis, vel immoderati timoris, qui in desperationem possit inducere, & verba desperationis extorquere. Quæ omnia sunt manifestæ blasphemie. Lege Robertum Bellarminum libr. 4. de Christi anima c. 8. ubi acute Caluinum premit propriis eius verbis, ac sententiis secum pugnantibus. Quod vero neque post separationem à corpore pati potuerit anima Christi huiusmodi genus pœnæ, euidenter constat ex illo principio, quod tanquam de fide certum posuimus, eam animam semper vidisse Deum, & quæ in sequenti assertionem adducemus, hoc etiam conuincunt.

Bellarm.

Anima Christi separata à corpore ignem inferni, vel purgatorij, non est passura.

Luc. 24.

Luc. 23.

Ioan. 19.

Luc. 23.

Psal. 21.

Isaie 53.

Philipp. 2.

Christus triumphans instans in infernum pœnam non est.

August.

Osae 13.

Ioan. 11.

Dico secundo: Anima Christi separata à corpore non est passura pœnam sensus, seu ignis inferni, vel purgatorij. Hanc assertionem existimo etiam esse de fide, & contrariam non solum temerariam, sed etiam hæreticam, quamuis non sit adeo impia, & blasphemia, sicut præcedens. Quia non tribuit Christo defectus scientiæ gratiæ, & gloriæ repugnantes, sicut illa. Probatur conclusio, & censura illius: quia licet non inueniatur in terminis hæc veritas ab Ecclesia definita: tamen in Scriptura, prout ab omnibus Sanctis, & vniuersa Ecclesia intelligitur, continetur, & ex aliis principiis fidei necessario colligitur. Verumque probatur primo ex illis verbis Christi Lucæ vigesimo quarto. O stulti & tardi corde ad credendum, nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Vbi euidenter loquitur de passione crucis: postquam non inferni pœnam, sed gloriam, & triumphum dicit fuisse sequutum. Deinde cum latroni dixit. Hodie mecum eris in paradiso, aperte supponit, se futurum non in gehennæ doloribus, ac cruciatibus: sed plenum gaudio, & fruitione beata. Præterea in illo verbo, Consummatum est, significauit Christus & passionem suam, & redemptionem nostram in morte fuisse consummatam, iuxta illud, quod ipse dixerat Lucæ 18. Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ dicta sunt à Prophetis de filio hominis. Si autem omnes Prophetæ euoluuntur, inueniuntur prædictæ passionem vsque ad corporis mortem, non tamen post illam duraturas fuisse Psalmo 115. 53. &c. Denique hoc egregie confirmat Paulus ad Phi. 2. dicens. Exinaniuit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Ibi ergo fuit terminata obedientia Christi de redimendis hominibus, & illa fuit summa exinanitio, postquam non fuit sequuta maior pœna: sed potius gloria, & triumphus. Vnde subdit. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, celestium, terrestrium, & infernorum.

Vnde possumus secundo argumentari. Nam licet sancti Patres doceant, Christum ad infra descendisse, simul tamen docent non ut reum, aut pœnis subiectum, sed ut victorem, ac triumphatorem descendisse, eique (ut Paulus dictis verbis indicauit) omne genu etiam in ipsis infernis fuisse curuatum. Quam rem elegantissime descripsit Augustinus sermo. 137. de tempore ad hoc ipsum inducens verba illa Osae 13. Mortuus tuus eris inferne: Tu enim (inquit) Dominus noster Iesus Christus illum tenebrarum, &

Fr. Suarez. tom. 2.

A mortis principem colligauit, legiones illius perturbauit, & infra in eadem sententiam interpretans illud Ioan. duodecimo. Si exaltatus fuero in terra, omnia traham ad me ipsum. Postquam exaltatus est (inquit) id est, à Iudeis in cruce suspensus, mox ut spiritum reddidit, vniuersa sua diuinitati animæ ad inferorum profunda descendit: cumque tenebrarum terminum quasi depredator, splendidus ac terribilis attigisset, ac aspicientes eum impie ac Tartarice regiones, terræ, ac tremantes inquirere cœperunt dicentes. Quisnam est iste terribilis, & nuius splendore coruscans? Nunquam nosset talem accepit Tartarus? Inuasor iste, non debitor, exactor est, non peccator. Iudicem videmus, non supplicem. Hic si reus esset, tam potens non esset. Et potest multa similia, quæ eleganter prosequitur, inquit: Quis ergo iste est, qui sic intrepidus nostros fines ingreditur? & non solū nostra supplicia non veretur, insuper & alios de vinculis nostris abfoluit? Simili modo loquitur Cyril. Ierosol. catech. Cyril. Iero. 14. Exterrita est mors, videns nouum quandam descendentem in infernum, vinculis, quæ illic sunt, non ligatum. Idem significat Hieronymus Osae 13. & ad Ephes. 4. Hilar. Ambrosius libro vigesimo de Trinitate, Ambrosius libr. de myster. Pasch. capit. 14. & alij quos infra referemus. Ex quibus satis constat hanc veritatem perpetuo in Ecclesia fuisse creditam, tanquam certam & indubitatam: ergo hoc satis est, ut existimanda sit de fide certa.

Tertio de fide est, animas sanctas, si sint omnino puras, nullumque reatum pœnæ habeant, cum separantur à corpore, non experiri pœnas purgatorij, nedum inferni: ergo multo magis eadem certitudine idem est de Christi anima sentiendum, non ergo illa attigit ignem inferni, cum nullam haberet culpam, nec purgatorij, cum nullum haberet pœnæ reatum. Et reuera si authores secundi erroris supra relati constanter loquerentur, potius dicere debuissent Christum passum fuisse pœnas purgatorij, quam inferni: quia voluntariè, ac ex charitate, & breui tempore illas passus fuisset: in quibus circumstantiis pœna purgatorij censetur differre à pœna inferni. Quis autem neget esse hæreticum dicere Christi animam sine vllō reatu pœnæ pœnas purgatorij sustinuisse, cum de qualibet alia anima iusta ita sentire hæreticum sit? Dices Christum non esse passum ob reatum pœnæ, quam ipse sua causa deberet, sed nostri causa, & ut fidei usor ac redemptor noster. Sed huic euasioni obstant alia principia fidei. Primum quod purgatorij pœna non est instituta ad satisfaciendum pro aliis (hoc enim est proprium officium huius vitæ) sed ad satisfaciendum propriis reatibus ac debitis. Deinde (quod præcipuum est) quia secundum fidem Christus in cruce plenissime soluit pro omnibus nostram consummans redemptionem ad Hebr. nono & decimo, & pretium quod soluit, non fuit pœna purgatorij, sed sanguis. Pet. 3. & 1. Ioan. 1. Pet. 3. 1. Apoc. 5. & ideo nostra redemptio morti eius, & non pœnalitibus inferni singulariter tribuitur, ad Roman. 5. ad Colof. 1. De qua re multa congesimus in Tom. disp. 4. disp. 13. & sect. 6. & disputat. 39. sect. 3. Colof. 1. Ergo post mortem nec fuimus causa, nec ut fidei usor habuimus aliquem reatum aut debitum pœnæ: ergo nullo modo pati potuit pœnas purgatorij vel inferni. Et hinc facile potest colligi propria ratio huius veritatis quam in sequente conclusione magis explicabo.

Dico tertio, anima Christi Domini ab instanti in quo fuit à corpore separata, fuit omnino impassibilis. Ita sentiunt Theologi supra citati: sed illi probabilior duntaxat existimant hanc assertionem; mihi tamen ita certa est, ut contraria omnino impassibilis, temeraria, ac errori proxima videatur, & in primis suppono animam rationalem à corpore separata suapte natura esse impassibilem passione extrinsecus illata, quæ ad corruptionem tendat. Est enim spiritualis, quæ à corporibus pati non potest, neque ab vlla creatura alterari, corrumpi, Solui

Cyril. Iero.

Hieronym.

Hilar.

Ambros.

Hebr. 9. & 10.

1. Pet. 3.

1. Ioan. 1.

1. Apoc. 5.

Rom. 5.

Colof. 1.

Anima Christi post mortem omnino impassibilis.

Pp 3 pol-

Anima rationalis separata pati quid possit.

posset ex natura rei ab spiritibus naturæ superioris A per vim alicubi detineri, quod genus quoddam passionis existimari potest. Certum est autem, animam Christi à nullo potuisse hanc vim pati, quia ratione vnionis habebat vim & efficaciam supra omnes spiritus. Vnde etiam in corpore mortali existens, eos suo nutu ac voluntate mouebat. Rursus potest anima separata ex natura rei pati passione vel receptione aliqua intentionali, recipiendo aliquam speciem, vel speciei modum, aut à Deo, aut per locutionem & illuminationem ab alio spiritu. Hæc verò receptio ex suo genere non pertinet ad passionem poenalem, de qua nunc loquimur, sed potius pertinere potest ad passionem perfectiuam: quæ habere non potuit locum in anima Christi separata, cum esset omni scientia plena, nisi fortasse in spiritali locutione quæ ad præsentem materiam non spectat. Nō enim hic explicandum est quo modo angeli loquatur cum Christo, vel nunc in gloria, vel cum anima eius in triduo. Potest tamen hæc qualiscunque impressio ad passionem poenalem pertinere, quando inuoluntarie recipitur, vel est de re quæ possit tædium, tristitiamve parere. Quod genus passionis inuenitur sine dubio in gehenna, & fortasse in purgatorio animæ sanctæ aliquid huiusmodi patiuntur. In Christi autem anima habere locum non potuit: quia cum ratione vnionis esset omnibus creaturis superior, nihil inuoluntariè ab eis pati vel recipere poterat. Propter quam causam etiam in hac vita corpori vnita non potuit à demonibus pati suggestionem aliquam internam, vt in superioribus dictū est. Cum vero Deo esset vnita, & plene beata, nec quidquam simile ab ipso Deo pati, nec aliquid ei obiectum representari poterat, quod illam contristeret: quia diuina fruitio nullam vel minimam tristitiam secum admittit. Igitur considerata natura animæ rationalis, & superadditis animæ Christi vnione hypostatice, & visione beata, necessitate quadam naturali sequitur, vt illa anima separata ex natura rei sit impassibilis: quia præter passionem enumeratas nulla alia excogitari potest.

Superest, vt probemus, etiam supernaturaliter fuisse impassibilem animam Christi ab instati mortis. Quod facile fiet, si supponamus non esse sermonem de potentia remota, sed proxima. Potentiam remotam voco solam potentiam obedientialem cum non repugnantia, nec implicatione contradictionis. Quo certe sensu non solum in triduo, sed etiam nunc anima Christi est passibilis, & omnes Angeli beati pati possunt: tamen ab hac potentia non denominantur res simpliciter & absolute loquendo, præsertim si constet lege ac promissione diuina statutum esse, vt nunquam reducat in actum. Potentia ergo proxima in præsentia dicitur, si fingamus alicui creaturæ datam esse instrumentariam virtutem, vt passionem aliquam in anima Christi separata posset efficere, vel si diuinitus ordinatus esset, vt aliqua tristitia posset affligere illam animam, non obstante fruitione beata: & hoc sensu negamus potuisse illam animam supernaturaliter pati, sed potius fuisse impassibilem. Et probatur primo, quia cū hoc miraculum neque scriptum sit neque traditum, & sit præter dignitatem, & meritum vnionis hypostatice, temere fingeretur. Et in hoc est maxima differentia inter animam separatam & coniunctam: quia dum est in corpore passibili, naturaliter pati potest ab extrinsecis agentibus, quæ Deus agere permittit sine nouo miraculo: secus verò quando iam est separata. Atque eadem est differentia inter animam & corpus inter se separata: nam corpus, siue coniunctum, siue separatum ab anima, pati potest: & ideo mirum non est, quod corpus Christi in triduo aliquid passum fuerit. Quia non fuit necessarium, vt Deus supernaturaliter omnem actionem naturalem impediret, sed solum eam, quæ corru-

ptionem afferret, aut quæ Christum non deceret. At vero è contrario anima naturaliter nihil pati poterat: & non oportuit vt Deus aliquid instrumentum eleuaret, vt miraculum faceret, quo illa pateretur. Vnde est secunda ratio, quia Christus non assumpsit passiones, seu potentiam proximam patiendi, nisi propter operandam nostram salutem, & hac ratione miraculose effecit vt anima existens in corpore, etiam si beata esset, capax foret tristitiæ: sed consummauit opus nostræ salutis dum in corpore mortali vixit: ergo non est cur anima à corpore separata, supernaturaliter fieret passibilis: fuit ergo statim impassibilis. Maior de fide est, vt latè tractaui superiori tomo disput. 5. Minor etiam est de fide, vt paulo ante probatum est. Et hæc est potissima differentia inter animam Christi coniunctam & separatam, propter quam, licet in vtroque statu fuerit beata & vnita verbo, & in vno tamen fuit passibilis, & non in altero. Tertio, repero argumentum supra factum, quia animæ sanctæ post mortem saltem Christi, statim sunt gloriose & impassibiles, si nihil habeant purgandum: ergo multo magis anima Christi Domini, propter easdem rationes quibus similis consequentia probata est.

Quod tandem ita declaro, nam vel anima Christi de facto aliquid passa est in triduo, vel non. Primum dici non potest, vt probant omnia quæ in secunda conclusione adduximus: illa enim generaliter procedunt de quavis passione. Coniungitur etiam exemplo aliarum animarum iustarum, quæ post Christi mortem nihil purgandum habent. Ac præterea, quia nihil fingi aut excogitari potest, quod tunc anima Christi passa fuerit, cum neque gehennæ, neque purgatorii poenas sustinuerit, neque illud tædium, vel tristitiā, quam sancti Patres ante Christi mortem patiebantur: nam potius suo aduentu ac descensu ad inferos, eam abstulit. Neque vero ipse descensus ad inferos, aut existentia in eo loco potuit Christum affligere, quia non erant ei inuoluntaria, neque ibi existeret vt reus, sed vt victor, & Dominus. Denique neque peccata hominum, neque poenæ damnatorum, quas intuebatur, tristitiam parere potuerunt: aut ex charitate, & zelo diuini honoris, aut ex charitate, & compassione proximorum. Alioqui etiam nunc posset Christus & quilibet alius beatus ex eandem rerum consideratione tristari: non tamen ita est, quia ratione status non sunt capaces tristitiæ, & quia omnia illa considerant sub ordine diuinæ providentiæ ac iustitiæ, quam præferunt omnibus creaturarum commodis, & iudicant omnia illa in maiorem Deigloriam, & honorem cedere: eadem autem ratio est de anima Christi in triduo, quæ (vt diximus) nullam habuit causam, vel rationem, vt miraculose aliquam tristitiam in se admitteret, nihil ergo passa est ab instanti mortis, ergo extunc fuit impassibilis, quandoquidem nec secundum propriam naturam, & dispositionem pati poterat, nec diuinitus ordinatum erat, vt aliquid pateretur.

E Dico quarto, Anima Christi in triduo caruit quidem aliquibus perfectionibus gloriæ accidentalis, propriè tamen nullam poenam sustinuit. Hanc conclusionem satis explicui in commentariis articuli primi, & quinti. Et patet breuiter prior pars, quia caruit corpore, & omnibus gaudiis & operationibus, quæ per corpus nunc operatur, caruit etiam loco cœlesti, vt infra dicam. Posterior pars probatur, quia his bonis non caruit in supplicium, vel poenam alicuius culpæ: sed quia propter alias rationes diuinæ providentiæ ita expediebat. Adde hoc ipsum nunc etiam dici posse de Christo in celo regnante. Adhuc enim caret aliquo præmio accidentali: imo & aliqua mala extrinseca sustinet, quæ improprie dicuntur mala poenæ.

Adhuc

Anima Christi in triduo nullam propriam poenam sustinuit.

Adhuc enim à multis blasphematur, & in multo-
rum mentibus infamiam sustinet, quia à multis ad-
huc existimatur seductor, & iniquus. Vnde caret
perfecta ac integra exaltatione nominis sui: caret
honore, & adoratione sibi ab omnibus debita: caret
denique societate multorum prædestinatorum: atque
adèd integro complemento sui corporis mystici.
Quæ omnia ad gloriam, & præmium accidentale
pertinent: non tamen propterea dici potest adhuc
sustinere aliquam poenam propter eandem rationem
supra dictam. Sicut etiam in quantum Deus caret
honore debito à multis, & fama, & existimatione
debita, non tamen propterea dici potest aliquam per-
peti poenam.

Responsio ad
argumenta
in oppositum.

Ad fundamenta primi erroris nihil ferè oportet
respondere, quia omnia alijs erroribus nituntur.
Primo enim falsum est per Christi redemptionem
factum esse, ut nostræ dispositiones, & satisfactiones
nò sint necessariae. Deinde etiam est falsum, debuisse
Christum nos redimere per eandem poenam, quibus
peccatum in hac vita non remissum, in futura puni-
tur. Alioqui etiam in æternum debuisset in inferno
puniri: poenæ ergo huius vitæ satis superque fuerunt,
cum essent infiniti valoris. Præterea valde errant, dū
negant esse proprium locum inferni, ut facile consta-
re potest ex disputatione præcedenti, & nonnulla ad-
demus Sect. sequenti.

Testimonij
A. 2.
Expositio.

In fundamentis secundi erroris, solum superest
exponendus vnus, vel alius Scripturæ locus. Ratio
enim quæ ibi adiungitur, iam expedita est. Primus
locus est Acto. 2. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus
inferni.* Quem locum Caietanus ibi exponit de poe-
nis accidentalibus & extrinsecis: sed eam expositio-
nem supra refellimus. Dupl. ergo potest expo-
ni cum Aug. epist. 99. Primo, ut hæc verba referantur
ad ipsum Christum, & hoc modo soluit dolores in-
ferni, non auferendo quos passus est: sed præuenien-
do, ne illos pateretur. Secundo, ut referatur ad al-
ios, & ita soluit dolores ab animabus sanctis, quæ
(ut supra diximus) aliquos dolores patiebantur. O-
mitto aliter legi illum locum in Græco, scilicet, *solu-
tis doloribus mortis*, quomodo legit Chrys. ho. 6. in A-
cta. Nam lectio vulgata retinenda est, quæquam illa
alia faciles etiam habeat expositiones, scilicet, Chri-
stum resurrexisse solutis doloribus, quos in morte
passus est, vel resurrexisse soluta morte, quam tot
doloribus sustinuerat, vel certè, quod sicut morte
sua, & resurrectione, mortem interemit, ita & dolo-
res, qui mortem comitari solent, quodammodo sol-
uit, dādo nobis spem vitæ immortalis, & impassibilis.

Testimonij
ex Psal. 17.
Expositio.
Basil.
Theodor.

Secundus locus ex Psalmo 17. *Dolores inferni circum
dederunt me*, faciem habet expositionem. Dolores e-
nim inferni dicuntur, non qui sunt in inferno, sed
dolores mortiferi, ut exponunt Basilii, & Theo. Nam
(ut supra dicebam) quia per mortem omnes homi-
nes descendebant in infernum, idèd mors quasi qui-
dam transitus ad infernum existimabatur, & hac de
causa grauissimi dolores, qui mortem possint infer-
re, dolores inferni dicuntur. Hieronymus vero expo-
nit dolores inferni, id est, inuidia detrahens, quæ mor-
tem infernalem operantur. Quod magis explicans Aug.
dicit. *Dolores inuidie, qui perducunt ad infernum pec-
cati, circumdederunt me*, significans nò esse sermonem
de doloribus, quos Christus patiebatur: sed quos ex
inuidia patiebantur, qui eum persequabantur. Ita
ut significetur ira, & rabies, quæ Iudeos in Christum
agitabant. Sed prior expositio magis literæ consen-
tanea videtur.

Psal. 87.
Expositio.

Tertius locus explicandus est ex Psal. 87. *Posue-
runt me in lacu inferiori, &c.* Qui eandem ferè cum præ-
cedenti habet expositionem. Nihil enim aliud illis
verbis significatur, quam acerbæ tormenta quibus
Iudei Christum affecerit, ut eum morti traderent.
Est enim in his, & similibus locis considerandū, Da-
uidem ita loqui de Christo, ut etiam de seipso loqua-

tur, suamque afflictionem describat, quando à Saule,
vel ab Abialone querebatur, ut interficeretur. Ec-
quia mors maximum malorum indicatur, & eo tem-
pore censebatur ut via ducens ad infernum, ideo il-
lis metaphoris, & loquendi modis, & suis, & Christi
calamitates descripsit, ut omnes Patres supra citati
intelligunt. Non est ergo in huiusmodi locis sermo
de doloribus, quos damnati in inferno patiuntur.

SECTIO II.

*Utrum anima Christi in triduo vere, ac proprie de-
scenderit ad inferos.*

Quamquam nullus, qui sacras Scripturas admira-
tur, simpliciter negare audeat, Christum ad infe-
ros descendisse, quoniam (ut videbimus) & fre-
quenter, & expressis verbis id testantur: hæretici ta-
men, nonnullique Catholici ita eas exponunt, ut e-
uertant, atque rem ipsam negent. Primo ergo hære-
tici huius temporis contendunt, Christum secun-
dum animam non descendisse ad aliquem locum
subterraneum, qui nomine inferni significetur. Pu-
tant enim huiusmodi locum nullum esse, atque sine
fundamento ab Scholasticis confictum. Et ideo qui-
dam eorum (ut Brentius, & Caluinus) dicunt animam
Christi descendisse ad inferos, solum quia dolores
inferni sentit. Alij neque hoc existimant necessarium,
quia descendere in infernum nihil aliud putant fuisse,
quam mori. Iuxta quam interpretationem Chri-
stus potius secundum corpus, quam secundum ani-
mā ad inferos descendit. Fundamentū huius erroris
præter tractata præcedenti Sectione, solum videri
esse potuisse. Quia nomine inferni in Scriptura sepul-
crum significatur, iuxta illud Iob 17. *Si sustinueris, in-
fernus domus mea est:* & Psal. 87. *Vita mea inferno ap-
propinquauit,* & Psal. 114. *Pericula inferni inuenerunt* Psal. 114. &
me, id est, pericula mortis: & Psal. 149. *Dissepata sunt* 149.
ossa secus infernum. Ergo hoc est satis ad intelligendas
Scripturas, quæ de descensu Christi ad inferos lo-
quuntur.

Secunda sententia est Durandi in 3. p. 22. quæst. 3. Durand.
qui & admittit proprium locum subterraneum, qui
infernus dicitur, & ad illum intelligit Christum de-
scendisse, & in his differt à superioribus hæreticis:
tamē in verbo descendendi ponit metaphoram. Quia
non existimat Christum propriè secundum substan-
tiam, & præsentiam animæ suæ illuc descendisse: sed
tantum secundum virtutem, & efficaciam. Potest
hæc sententia suaderi primò, quia hoc satis est ad ex-
plicandas Scripturas, maxime cum Christus dicatur
descendisse ad inferos, ut animas sanctorum Patrum
beatificaret, easque inde eriperet: sed ad hoc non est
necessaria præsentia substantialis, sed sufficit virtus,
& efficacia: ergo. Et confirmatur à simili, quia etiam
Christus dicitur eo tempore fuisse in paradyso, iux-
ta illud, *Hodie mecum eris in paradyso*, & tamen non est
necesse intelligere fuisse in loco paradyssi secundum
realem præsentiam, sed secundum efficaciam, scili-
cet quia ibi beatificauit animam latronis. Vel cer-
tè, si ibi fuit secundum realem præsentiam, vel non
fuit in inferno, vel in duobus locis distinctis, ac val-
de distantibus simul exitit. Secundo, de Christo nò
solum dicitur descendisse ad infernum, sed etiam ad
omnes partes inferni, iuxta illud Ecclesiast. 24. *Pene-
trabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes* Eccl. 24.
dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino: &
tamen non propterea creditur descendisse ad om-
nes partes inferni secundum præsentiam realem. Nam
D. Thomas quoad locum gehennæ, & purgatorij
hoc explicat de descensu secundum efficaciam, ergo
eadem ratione potest Durandus id etiam expone-
re simili modo quoad Sinum Abrahæ. Tertio, pro-
prium fundamentum Durandi fuit. Quia res spiri-
tuales non dicuntur esse in loco, nisi ratione opera-
tionis transeuntis ad corpora, imò existimat ille

Angelum (idemque est de anima) non esse ubi operatur, secundum realem præsentiam: sed secundum præsentiam ordinis, anima autem separata non potest habere operationem circa corpus, neque Christus Dominus viam habuit, ergo.

Dicendum vero est primo: Christum Dominum ad infernum secundum animam descendisse. Assertio est de fide. Intelligimus autem nomine inferni locum aliquem certum subterraneum. Et hoc sensu definita est hæc conclusio ab Ecclesia, ut postea videbimus. Probatur ergo primo ex Scriptura, & Sanctis Patribus. Primus locus, & clarissimus est Actor. 2. ubi Petrus ad probandam Christi resurrectionem affert illud Psalm. 15. *Quoniam non dereliquis animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: & subdit. *Providens loquutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem*. Si ergo anima Christi post separationem a corpore non fuit derelicta in inferno: sed inde reuocata, ut Christus resurgeret, necesse est, quod illuc antea descenderit. Ita interpretatur hunc locum Basil. Theodor. & Hieronymus, & alii expositores in Psalm. 15. & Beda cum alijs Actor. 2. & Augustin. Epistol. 57. & 99. & Ambrosius sermon. 74. Neque potest hic accommodari interpretatio inferni pro sepulchro, cum sermo sit de anima, non de corpore: quin potius a corpore, seu carne evidenter distinguitur: anima autem non fuit in sepulchro. Secundus locus sit Matthæ. 12. *Eris filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*. Quod licet à Chrysostomo & Euthymio exponatur de sepulchro, quia sepulchra Iudeorum erant incisa in cavernis, & speluncis, & ita erant quodammodo intra profundum corporis: rectius tamen exponitur de inferno cum Hieronymo, Theophylacto, & alijs.

Tum quia *cor terræ* proprius dicitur centrum eius, quod est in medio, sicut cor est in medio animalis. Tum etiam, quia hoc sensu melius quadrat figura Ionæ, quam ibi Christus explicuit. Nam Ionæ dicitur fuisse in ventre piscis, venter autem est quasi medium, & profundum animalis. Dicitur etiam fuisse in ventre inferi, in profundo, in corde maris, in abyssu. Quibus omnibus non sepulchrum proprie, infernus autem aptissime significatur. Denique dicitur de Ionæ existente in ventre ceti, *clamaui ad Dominum, & exaudivit me*. Quod recte accommodatur animæ Christi existenti in inferno, non autem corpori mortuo iacenti in sepulchro. Recte igitur hic locus de anima ad inferos descendente. Vnde eleganter Tertullianus libr. de anima, cap. 55. ex hoc loco probat inferos esse in profundo terræ, dicens. *Nobis inferi non nuda cauestris, nec subdualis aliqua mundi semina creduntur: sed in fossa terræ, & in alio vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas*. Siquidem Christum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id est, in recessu intimo, & interno, & in ipsa terra operto, & intra ipsam cauato, & inferioribus adhuc abyssis superstructo. Et infra, *Forma humana mortis apud inferos functus, hic quoque legi satisfecit, neque ante ascendit in sublimiora calorum, quam descendit ad inferiora terrarum, ut illic Patriarchas, & Prophetas compotes sui faceret*. Eodem modo exponit Irenæus libro quinto contra hæres. ca. 31. indicat Ambrosius ad Ephesios quarto optimè omnium Hieronymus Ionæ 2. Tertio hi Patres eisdem locis huic testimonio coniungunt illud ad Ephesios quarto. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ*? Apertè enim Paulus loquitur de loco inferni, ubi etiam Chrysostomus, Hieronymus, & alij exponunt. Tum quia non loquitur de descensu ad terram, qui fuit per incarnationem: sed de descensu ad inferiores partes terræ. Tum etiam quia loquitur de illo descensu, quo eduxit vivos de lacu. Quartus locus est ad Roman. 10. *Quis ascendit in celum? id est Christum de duce-*

re. Aut quis descendit in abyssum, id est Christum à mortuis reuocare. Vbi supponitur Christum fuisse in abyssu, indeque fuisse reductum, ut resurgeret: nomine autem abyssi infernus significatur. Vnde Lucæ. 8. legio Dæmonum rogabat Christum ne imperaret illis, ut in abyssum irent, & ideo celo opponitur tanquam extremè distans ab illo, & ut res homini difficillima proponitur, illuc descendere, sicut in celum ascendere. Ita exponunt Ambrosius, Anselmus, Theodor. & Theophylactus, qui apertè dicit, *ex abyssu id est, ex abditissimo, ac profundissimo loco inferorū*. Quintus locus est 1. Petri 3. *Vivificatus autem spiritu, in quo ijs, qui in carcere erant, spiritibus veniens predicavit*. De quo loco nonnulla diximus disp. præcedenti, & statim plura attingemus.

Præter hæc verò testimonia, quæ propria sunt, afferri possunt alia ex veteri testamento, in quibus mysterium hoc adumbratum est. Vt est illud Psalm. 23. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales*. Quod de hoc mysterio exponunt Hieronymus, & Augustinus ibi, idem Augustinus sermone 2. de resurrectione, & significat Athanasius sermone 4. contra Arianum versus finem. Item illud Psalm. 29. *Eduxisti ab inferno animam meam*: item illud Psalm. 38. *Deus redimet animam meam de manu inferi: cum acceperit me*: & illud Psalm. 106. *Quia contriuit portas æreas, & vestes ferreas confregit, & illud Psalm. 138. Domine probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam, & infra, si ascendero in celum, tu illic es: si descendero in infernum ades*. Quæ loca, & similia in sensu mystico afferuntur, de quibus videri potest Hieronymus, Augustinus, Hilar. & Basil. in Psalm.

Secundo principaliter probanda est hæc veritas Ecclesiæ definitione, ac traditione. Definita enim est in Conc. Lateran. ut habetur in cap. Firmiter, de summa Trinit. & fide Cathol. Idem traditur in Concil. Toleran. 4. in confessione fidei, & in symbol. Athanasij, quod Ecclesia recepit, & in symbolo Apostolorum, prout nunc ab Ecclesia recipitur, & recitatur. Hunc etiam fuisse perpetuum Ecclesiæ sensum, ac traditionem ex scriptis Sanctorum Patrum evidenter constat, quorum testimonia tam sunt frequentia, & vulgaria, ut in eis recensendis immorari superuacaneum videatur. Indicabo tamen nonnulla loca præter ea, quæ inter exponenda Scripturarum testimonia indicata sunt, tam in hac Sectione, quam in præcedenti disputatione, & alia quæ in sequentibus necessariò erunt referenda. Ex Græcis igitur Patribus docuerunt hanc veritatem Ignatius episcopus, ad Trallianos, Athanasius libr. de Incar. Christi prope finem, Clemens Alex. libr. 2. & 6. Stromat. Gregori. Nazianz. ora. 35. quæ est 3. de Theologia in fine, & orat. 42. quæ est 2. in Pascha, versus finem, Basil. homil. in Psalm. 44. circa illud. *Myrrha, gutta, & casta à vestimentis tuis*, Cyril. Ierosol. cat. 4. & 14. & Alexan. libr. de fide ad Theodosium circa medium. Epiph. in Ancorato, & hæres. 46. 69. 77. & 79. & in fine Panarij, in professione fidei. Damasc. libr. 3. de fide cap. vlti. Orig. hom. 15. in Genes. Euseb. lib. 4. de Demonst. ca. 12. & libr. 11. Historiæ cap. vlti. refert orationem Thaddæi vnus ex septuaginta discipulis ad Abagarum, in qua inter explicanda alia Christi mysteria, descensum ad inferos posuit, eiusque rationem reddidit, idem Nicephor. libr. 1. Histor. cap. 31. Ex Latinis vero Cyprian. libr. 2. aduersus Iudeos capit. 24. & 25. & sermon. de Passione circa finem & sermon. de Ascensione prope finem. Leo Papa Epistol. 91. alias 63. cap. 17. & sermon. 1. de Resurrectione, Ambros. libr. 3. de fide cap. 3. clarius in libr. de myster. Paschæ, cap. 4. Hierony. Osee 13. August. Epistol. 57. & 91. & 20. de Ciuit. cap. 15. & tractat. 78. in Ioan. Greg. Magnus libr. 13. moral. cap. 15. & 16. Fulgentius libr. 3. ad Thrasimundum ca. 23. Vigilius libr. 2. contra Eutych. & Beda libr. 3. in Iob. capit. 37.

Psalm. 15.
Act. 2.
Basil.
Theodor.
Hieron.
Beda.
August.
Ambros.
Matth. 12.
Chrysostom.
Euthym.

Hieron.
Theophyl.
Ioan. 2.
Tertul.

Iren.
Ambros.
Hieron.
Ephes. 4.
Chrysost.

Hieronym.

Rom. 10.

Vlti-

Ultimo possumus congruentes rationes reddere ob quas voluit Christus ad inferna descendere, quas melius in sequenti conclusione explicabimus, & in solutione argumentorum Durandi.

Dico ergo secundo: Christi animam descendisse, ad inferos secundum substantiam suam, & realem presentiam. Ita interpretantur hoc mysterium omnes Doctores Scholastici. in 3. d. 23. vno excepto Durando, cuius sententia non solum non est probabilis (vt exstimauit Picus Mirandulan. in apolo. qu. 1.) verum potius est erronea, & plane haeretica. Primo, quia est contra Scripturam, vt ab omnibus Patribus exponitur, & ab Ecclesia vniuersali consensu intelligitur. Secundo, quia loquitur contra proprietatem verborum Scripturae, sine vlla necessitate metaphorici sensus, & sine vlla auctoritate. Tercio, verba illa,

Non derelinques animam meam in inferno, nullo modo admittunt illum sensum de existentia per solam operationem, & efficaciam. Quia si nunquam ibi fuit, etiam si ibi operaretur, non potuit ibi derelinqui. Itē si anima Christi solum per operationem fuit in inferno, quid, quāto, est ibi, non derelinqui? Certē solum esse poterit definire operari in inferno. Derelinqui vero in inferno, esset semper operari ibi, hae autē interpretationes per se sunt absurdissimae. Praesertim cum Petrus addat Act. 2. *luxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*, id est, Christum ab inferno, non erat autē impossibile Christum semper ibi operari: neque hoc fuisset teneri ab inferno, neque illo modo oportuisset eius animam ab inferno educi, vt corpori vniueretur, & Christus resurgeret, quod tamen aperte Petrus intendit, atque ita exponit verba Dauid. Et eodem modo induci ferē possunt reliqua Scripturae testimonia, in quibus, inter premia diuinitus concessa animae Christi, & inter mira opera virtutis eius ponitur, quod anima eius paulo post descensum suum liberata ab inferno sit, quod non potest ad operationem referri. Nam si esset in inferno, tantum erat ibi operari, liberari ab inferno erit cessare ab illa operatione: hoc autē nullum erat beneficiū animae Christi, neque ad id praestandum magna aliqua virtus erat necessaria. Quartō, haec veritas definita est ab Ecclesia, & in symbolo fidei ab Apostolis, & Athanasio proposita, ergo in sensu proprio, & non metaphorico tradita est, alias cum simul dicatur, resurrexisset, & ascendisset in coelum possent omnia ad metaphoras traduci. Adde omnes Patres supra citatos ita aperte exponere, & in dicto Conc. Lateran. expresse declarari, descendisse secundum animam. Quia si propter solam operationem dicitur anima Christi descendisse ad infernum, poterit & dici ascendisse in coelum. Quia etiam ibi aliquid operata est, Angelos illuminando. Dicitur etiam iuisse ad paradysum terrestrem, vel eum locum, in quo Elias, & Enoch viuunt. Quia verisimile est, illis etiam manifestasse gloriam suam, eisque gaudium consummatae redemptionis annuntiasse. Similiter dicitur anima Christi profecta in domum Virginis, vel in locum, vbi Petrus amare sebat peccatum: denique vbicumque aliquid operata est. Cōsequens autem repugnat Scripturis, quae dum specialiter dicunt animam Christi fuisse in inferno, & inde fuisseeductam, vt Christus resurgeret aperte significant, & tantum ibi proprie fuisse, & alio modo, quā esset in alijs locis, vbi operabatur. Et confirmatur, quia alias eodem modo diceretur nunc Christus descendere in terrā, quia in ea multa operatur per virtutē animae suae: imō & in infernū nunc descendit, quia interdum aliquid ibi operatur saltem in animabus purgaturij.

Sexto argumento contra Durandi fundamentū. Quia vel repugnat animae humanae separatae, verē, ac realiter esse praesentem in loco corporeo, seu in inferno, vel non. Si dicat primum, necesse est, vt neget animas hominum damnatorum verē, ac pro-

prie esse in inferno, quod est plane haeticum contra expressa Scripturae testimonia supra adducta disput. praeced. Sect. 2. & contra vniuersalem Ecclesiae sensum, & Patres omnes, vt in 1. par. quaest. 64. latius ostenditur. Quod si dicat cum aliquibus discipulis D. Thomae esse ibi, per passionem à corpore, seu ab igne: quid dicit de animabus puerorum, quae nullam poenam sensus patiuntur? Quid rursus de animabus sanctorum Patrum, in quarum loco nullus ignis erat, neque aliud corpus, à quo afficerentur, vel in quod ipsae operarentur? Dicit fortasse illas animas fuisse ibi, quia detinebantur ab illis corporibus, sed in primis hoc est falsum, saltem de animabus sanctorum Patrum. Nullam enim vim à corporibus patiebantur: fuisset enim illa quaedam poena sensus, & miraculosa operatio sine necessitate, fundamentoque conficta. Praesertim cum illa summa voluntate obedirent diuinæ voluntati, cuius iussu ibi manere cogeantur. Deinde inquiri, quid sit ibi detineri? Certē nihil est aliud, quā esse, & conseruari spiritum aliquem praesentem tali corpori. Ergo haec detentio, vt sit possibilis, supponit esse possibilem realem praesentiam animae separatae in tali loco, vel corpore, & addit, quod talis praesentia fiat, vel conseruetur per efficaciam ipsius corporis, vel per aliam vim extrinsecam, ergo eadem ratione erit possibilis per virtutem diuinam, vel intrinsecam ipsius animae vim. Quod si haec praesentia est possibilis, sine causa negatur contra Scripturas, animam Christi fecisse seipsam realiter praesentem loco inferni, quod est, illuc descendisse. Aliter eludit hoc argumentum Durandus dicens animas damnatas esse in inferno per deputationem. Quia scilicet destinatae sunt, ac deputatae, vt ibi perpetuo sint resumptis corporibus: animas verō sanctorum Patrum ante Christi aduentum fuisse in inferno per deputationem conditionatam, quia ibi futurae essent cum corporibus, nisi redimerentur. Sed in hac responsione multi continentur errores. Primō enim sequitur animas damnatorum nunc reuera non esse in inferno. Quia nunc non sunt praesentes: sed erunt postea, cum vniuerentur corporibus. Secundo sequitur malos angelos non esse in inferno, quia non possunt deputari ratione corporum, quae nunquam sunt habituri. Tercio sequitur, animas sanctorum Patrum fuisse in gehenna damnatorum, quia secundum illam conditionatam deputationem ibi futurae fuissent cum corporibus, nisi redimerentur. Quarto sequitur, animas purgandas nullo modo esse in loco purgatorij, quia neque absolute, nec conditionate deputantur vt ibi sint cum corporibus, quia tantum purgandae sunt in hoc statu, in quo sunt à corporibus separatae. Atque idem argumentum fieri potest de animabus infantium, si verum est eas post diem iudicii reassumptis corporibus non futuras in loco subterraneo, sed in hoc mundo. Ultimo tādē argumentor, quia vel anima separata est nusquam, vel alicubi. Si nusquam, primum id intelligi nequit, deinde sequitur animas sanctorum nunc non esse in coelo, & Christum non verē, ac realiter eduxisse animas sanctorum ab inferno. sed tantum spiritualiter, quae omnia repugnant Scripturis, & Patribus. Si vero anima separata potest esse alicubi, potuit ergo anima Christi esse in inferno: fuit ergo ibi, vt Scriptura dicit. Cur autem ibi fuerit, iam dicemus respondendo argumentis Durandi.

Ad fundamentum haeticorum responderetur, primum haeticum esse dicere nomen inferni in Scriptura nunquam significare locum subterraneum supplicij animarum deputatum, est contra euidentissima loca Scripturarum, Lucā 16. Matthaei 11. aliaque praecedenti disputatione notata, & contra omnium Patrum sententiam, & expositionem, vt videre licet in omnibus, quos haecenus adduximus, & Augustinus libro secundo Retractionum,

Eusebio.

Responsio.

Responsio ad fundamentum haeticorum.

capit. 24. Hieronym. Isai. Gregor. 4. dialog. capit. 42. Tertull. in apologetico cap. 11. & 47. & lib. de anima, cap. 54. & 55. Deinde probabiliter dici potest, infernum, in Scriptura nunquam significare sepulchrum. Omnia enim loca quæ ibi citantur, & similia, aptissime explicari possunt de loco subterraneo inferni. Secundo, est, concedamus aliquando infernum significare mortem, vel sepulchrum, illud solum est significatione analogæ, & translatiæ, ex qua potius sequitur infernum proprie, & simpliciter dictum significare locum subterraneum, quando aliunde ad aliam significationem non distrahitur. Nam [ut supra dicebam] quia animæ omnium hominum ante Christi aduentum erant in inferno, inde mors reputata est quasi via ad infernum. Ex quo tandem fieri potuit, ut aliquando nomine inferni significaretur. Tercio ergo dicitur, Scripturam dicentem Christum descendisse ad inferos, non posse villo modo de sepulchro, vel de morte declarari, ut supra probatum est.

Responsio ad
argumenta
Durandi.

Ad fundamenta Durandi. Ad primum, falsum est eius interpretationem de descensu per solam operationem satis esse ad explicandas Scripturas, ut satis liquido ostendimus. Ratio verò ibi adducta de beatitudine animarum Sanctorum Patrum, rectè quidem probat, non fuisse Christo simpliciter necessarium secundum animam ad infernum descendere, ut aliorum animas bearet: tamen nos non id affirmamus propter necessitatem huius effectus, sed quia Scripturæ id affirmant. Congruentes autem rationes propter quas ita factum est à D. Thom. artic. 1. & 2. adducuntur. Quarum summa est. Primum, quia Christus summa benignitate voluit eos, quos per gratiam interius secundum diuinitatem illuminabat, etiam secundum animam loco visitare, ut scilicet ipsi, qui in terra versabatur, iustitiæ solortus erat, ita etiam ipsi, qui infra terram in tenebris, & umbra sedebant, illucesceret, ut Damascenus inquit lib. 3. de fide, capit. 29. Vbi alias rationes adducit, quæ in eo videri possunt. Quibus etiam addi potest, noluisse Christum supra terram ascendere, donec suum corpus secum ferret. Item voluisse ad inferna descendere, ut se victorem, ac triumphatorem Dæmonum declararet. Et propter alios effectus infra tractandos, quos licet absque reali præsentia animæ suæ perficere potuisset, tamen conuenientiori modo, & ad suum finem magis accommodato eos præstitit, illuc in propria persona, atque animæ substantia descendere.

Res spirituales
sine ulla
re, operatio
ne, vel applica
tione vir
tutis possunt
esse in loco.

Aliæ rationes Durandi, præter ultimam, petunt difficultates proprias in sequentibus Sectionibus tractandas. Ultima vero ratio primum procedit ex falso fundamento, scilicet animam, seu rem spirituales non posse esse alicubi, nisi per operationem, vel applicationem virtutis ad corpus, nec posse moueri secundum propriam substantiam, & realem præsentiam. Vtrumque enim est falsum. Anima enim, cum sit res finita, & intra mundum contineatur alicubi, necessariò est præsens, & indistans ab aliquo loco corporeo. Et quamvis tunc proprie non sit in corpore tanquam in loco (ut D. Thomas de Angelis docet, & rectè explicuit Gregor. Nyssen. lib. 2. Philosophiæ capit. 11.) tamen suo modo, & per præsentiam sibi intrinsicam verè dicitur esse ibi, ubi est corpus. Cum enim nos res spirituales non concipiamus, prout in se sunt, necesse est, ut de ipsis in ordine ad corpora loquamur. Propterea quidquid sit de naturali virtute ipsius animæ, tamen quod per potentiam diuinam possit alicubi constitui, etiam nihil ibi operetur, docuit Augustinus 21. lib. de Ciuitate, capit. 10. Et non video quomodo ab vilo Catholico possit negari, credendo ea, quæ de locis animarum fides docet: nisi fortasse excogitando actiones aliquas animarum: circa corpora, absque necessitate, & fundamento coniectas. Vnde ultimo dici

D. Thom.
Greg. Nyss.

August.

potest, Christi animam habuisse in inferno aliquam actionem circa corpora: videlicet imperio suo illuminasse non tantum mentes animarum sanctarum: sed etiam aerem ipsum, seu locum corporeum, in quo illæ animæ habitabant, ut docent S. Thomas 3. dist. 22. q. 2. art. 2. quæst. 1. Ric. artic. 3. qu. 2. Decebat enim, ut locus ille tanti victoris præsentia honestatus, quoad fieri posset illustraretur, maiestatemque gloriæ referret.

Supereft autem breue dubium ad hanc Sectionem pertinens. An hæc veritas de descensu Christi ad inferos non solum de fide sit, sed etiam articulus fidei. Et ratio dubij esse potest, quia in simbolo Niceno hic articulus non continetur. Et quamvis in simbolo Apostolorum habeatur, tamen quod ab ipsis Apostolis positus non fuerit, argumento est, quod aliqui antiqui Patres exponentes symbolum illum omittant, ut Augustinus in libris de fide, & simbolo, & libris de simbolo ad Catechumenos, & Irenæus libro 1. capit. 2. & Tertullianus, lib. de velandis virginibus, in principio, & lib. de præscript. hæret. cap. 13. & lib. contra Praxeam in principio, & Origenes in initio librorum Periarcon. Respondetur aliud esse inquire, an hæc veritas posita sit ab Apostolis expresse in simbolo, prout nunc habetur: aliud verò, an nunc computanda sit inter articulos fidei. Quoad priorem partem, licet non sit omnino certum Apostolos illam particulam addidisse, propter adducta testimonia: est tamen longè probabilius. Primum quidem, quia prædicti auctores non negant, Apostolos addidisse illam particulam: sed solum illam omittunt. Quia nec formaliter referunt totum symbolum Apostolicum, prout ab eis editum est, & nunc in Ecclesia recitatur, neque in ijs locis solliciti fuerunt de explicando mysterio, quod in articulis mortis, & resurrectionis continebatur. Secundo, quia alij Patres antiqui eam particulam referunt, & exponunt, quorum testimonium affirmans maius est, quam auctoritas negatiua aliorum. Exponunt autem Chrysost. homil. 2. de simbolo, Cyrill. Ierosolymit. cat. 4. & Rufinus in expositione symboli. Qui tamen addit in Ecclesiæ Romanæ simbolo, & in Orientis Ecclesijs non haberi illam particulam. Existimo autem loqui de simbolo Niceno, non de Apostolico. Augustinus denique sermone. 137. & 181. de tempore (qui est de expositione symboli) illam particulam addit, & exponit in cap. 7. quin etiam sermon. 115. (qui etiam est de traditione symboli) singulis Apostolis attribuit singulas particulas fidei, Thomæ Apostolo tribuit hanc particulam. *Descendit ad inferna.* Eusebius vero libr. 1. Historiæ, capit. ultimo refert Thaddæum discipulum Christi in summam quandam, quasi in symbolum redigens Christianam fidem, hunc articulum cum alijs posuisse. Denique Clichonæus super Damascen. libro. 3. deinde capite ultimo dicit hunc articulum fuisse à beato Philippo simbolo Apostolorum adiectum: non adiungit vero probationem, neque mihi constat, vnde id elicerit. Satis tamen probabile ex dictis est, ab aliquo Apostolo fuisse additum. Vnde apparet eximia impudentia hæreticorum huius temporis, dicentium hunc articulum fuisse ab Scholasticis excogitatum, quos imitatur Erasmus in paraphrasi in Matthæum in prologo.

Quoad aliam vero partem, an hæc veritas annumeranda sit articulus fidei, ne sit de nomine quæstio, distinctione vtendum est. Si enim per articulum fidei intelligamus veritatem fidei specialem difficultatem habentem (ut D. Thomas illum definit 2.1 qu. 1. art. 6.) sic proprie dicendus est articulus fidei à cæteris distinctus, ut idem D. Thomas ibi tradidit art. 8. Si verò nomine articuli intelligamus veritatem, quam omnes fideles explicitè scire, ac credere teneantur, sic non existimo necessarium hunc

compu-

compu-

compu-

compu-

compu-

compu-

compu-

compu-

compu-

D. Thom.
Ruffin.

Dubium.
Syn Nicen.
Syn Apost.

August.
Iren.
Tertul.
Orig.

Responsio.
Descensus
Christi ad
inferos in
symbolo A-
postolorum
expressus.

Chrysost.
Cyr. Iero.
Ruffin.

Augustin.

Euseb.

Clichon.

Erasm.

Veritas de
descensu
Christi ad
inferos non
art. fidei sit
D. Thom.

computare inter articulos fidei. Quia non est res admodum necessaria singulis hominibus : & quia ob hanc fortasse causam in symbolo Niceno omittitur. Cuius symboli cognitio videtur esse sufficiens ad præceptum fidei implendum. Denique propterea forte August. & alij Patres in principio citati exponentes symbolum, non explicant populo hoc mysterium. Contra hoc sentit Medina hic, articulo. i. dicens esse omnibus hominibus necessarium explicite scire, & credere hunc articulum, & in Niceno symbolo esse omisum, non quia necessarius non sit, sed quia in Apostolorum symbolo erat sufficienter traditus, noua quoque difficultas orta non esset. Quæ sententia est probabilis, ac secuta : absolute tamen non existimo dari tale præceptum, nec posse sufficienter ostendi.

SECTIO III.

Quid Christus in animabus existentibus in inferno operatus sit.

Quatuor [vt supra diximus] erant in inferno animarum ordines, de quibus figillatim dicemus atque ita explicabimus omnes operationes, quas Christus in eo loco habuit. Nam de actionibus eius circa corpora, non est aliquid certum, & (si quid est verisimile) iam supra tactum est. De actionibus item circa Angelos sanctos nihil specialiter occurrit dicendum. Quia cum illi iam viderent Deum; certum est animam Christi nihil noui in eos influxisse, quod ad essentialē beatitudinem pertinuerit. Quia beatitudo est immutabilis, & augeri non potest secundum naturam suam, & secundum legem Dei ordinariam, & non sunt fingenda miracula sine fundamento, aut necessitate. Quoad accidentalem verō beatitudinem, credendum est Christi animam ē cor-pore egredientem illuminasse Angelos, atque noua gaudia illis attulisse. Ea tamen actio per se non pertinet ad effectus à Christo factos in loco inferni, quia Angeli sancti per se ad illum locum non pertinent. Quamquam dubitandum non sit, eos cum Christo illuc descendisse.

Christus in infernum descendens animabus sanctorum Patrum essentialē beatitudinem in fluxit.
Primò ergo certum est : Christum descendendo ad inferos animabus sanctis, quæ in Sinu Abraham erant, essentialē beatitudinem, ac cætera animæ dona, quæ illam consequuntur, contulisse. Hoc de fide certum existimo. Quia de fide est illas animas non vidisse Deum ante Christi mortem, vt supra ostendimus. Deinde est de fide certum Christū per mortem aperuisse hominibus ianuam regni (vt ibi declarauimus) ideoque de fide etiam certum est animas Sanctorum omnium post Christi mortem decedentium (si nihil purgandum habeant) statim videre Deum: ergo idem est de prædictis animabus.

Obiectio. Responso.
Dices, quamuis sit de fide statim vidisse Deum: non est tamen de fide animam Christi operatam esse in illis hanc visionem. Respondetur, quamuis probabiliter existimemus Christi animam per veram, ac physicam efficientiam operatam esse in his animabus lumē gloriæ, per quod Deum videre possent [vt etiam Caietan. hic articulo. 2. opinatur] nunc tamen non loquimur in hoc sensu: sed abstrahendo à physica efficientia, de operatione per modum meriti, vel quacumque alia ratione, ita vt sensus sit, Christum descendisse ad inferos, vt propter sua merita statim sancti Patres visionem beatam acciperent, atque de illo loco simul cum Christi anima educerentur. Et hoc sensu dicimus esse hanc veritatem de fide, quam 13. c. Oseas prædixerat, dicens, *Ero mors tua, o mors; mors tua ero inferne*, vt interpretantur August. serm. 137. de tempore, & Greg. 12. Moral. cap. 8. & Zacharias cap. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat a-

Caiet.

**Oseas 13.
August.
Greg. Pap.
Zach. 9.**

Aqua, vt Hieronymus, Cyrillus, & ferè omnes exponunt. Quamuis Aug. 28. de Ciuitat. c. 25. aliter interpretetur. Paulus præterea ad Ephesios 4. in eundem sensum de Christo interpretatur verba illa Psal. 67. *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, & subdit. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terra?* Quæ verba veluti interpretans Thaddæus apud Euseb. lib. 1. Histor. ca. 11. *Descendit (inquit) ad inferos, & dirupit materiam, quam à seculo nemo diruperat. Qui descendit quidem solus: ascendit autem cum grandi multitudine.* Et similia ferè verba habet Ignatius dicta Epist. ad Trallianos. Denique omnes Patres supra citati, cum testantur Christum descendisse ad inferos, addunt illuc descendisse, vt animas Sanctorum ibi quiescentes liberaret. Propter quod rectè dixit Ori. hom. 15. in Gen. *Quod Christus dixit Laroni, hodie mecum eris in paradyso, non illi soli dictum, sed omnibus Sanctis dictum intellige, pro quibus in infernum descendit.*

B Sed obijci potest, quia in eodem instanti, in quo Christus est mortuus, animæ sanctorum Patrum beatitudinem acceperunt, cum in illo instanti consummata sit nostra redemptio, & ablatum humanæ naturæ impedimentum, & consequenter aperta ianuæ regni. Vnde cum in illis animabus nullum esset personale obstaculum, in eodem instanti regnum ingressæ sunt, & diuinam hæreditatem, ac mercedem acceperunt, Ingressus namque ille temporis moras non requirit, & Deus non differt præmium, & coronam, quando ex parte hominis nullum est impedimentum. Sed in eo instanti nondum Christi anima descenderat ad infernum: ergo nullo modo potest dici Christus suo descensu operatus esse hunc effectum, neque ea de causa illuc descendisse, cum prius res esset facta, quam ipse illuc descenderet. Quæ ratio adeo mouit Durandum, vt propter illam negauerit Christum secundum realem præsentiam ad inferna descendisse. Respondetur tamen (si verum est spirituale substantiam posse transire ab extremo in extremum absque existentia in medio) facile intelligi posse, hunc descensum Christi ad inferos fuisse per huiusmodi discretam mutationem: atque adeo in eodem instanti, in quo Christus est mortuus, animam eius fuisse præsentem in loco inferni. Mortuus est enim per primū non esse, ergo in instanti mortis iam non erat in corpore, ergo transiit in eodem instanti ad locum inferni. Et hæc responsio, supposita illa sententia, mihi valde probatur, quia & omnem difficultatem euacuat, & perfectiorem modum descensus Christo attribuit. Quapropter, etiam si secundum potentiam naturalem non esset possibilis animæ vel Angelo huiusmodi motus, verisimilius videtur Christi animam per supernaturalem potētiam, sibi multis titulis debitam, & quasi connaturalē, eo motus genere in infernum descendisse. Nam, quod diuina virtute ille motus fieri possit, certū existimo: cum nulla repugnantia, vel implicatio contradictionis in eo ostendi possit. Secundò, si quis velit asserere Christi animam motu continuo ad infernum descendisse, negare in primis potest, illas animas in eodē instanti, in quo Christus est mortuus, fuisse beatas, quia noluit Christus, antequam ipse secundum animam præsens adesset, eas illuminare, quia hic modus congruentior illi visus est, & illa brevis dilatio non erat magni vel momenti, vel incommodi. Hæc vero responsio mihi sanè non placet: tum propter rationem inter argumentandum factam, quæ videtur efficax. Tum quia non existimo dilationem beatitudinis, etiam si sit per breuissimam moram, parui esse momenti. Neque est vlla sufficiens ratio, ob quam credamus Christum suo descensu hoc incommodū illis animabus attulisse. Et ideo melius dicitur eo in instanti fuisse illuminatas, & hoc attribui suo modo descensui Christi, quia ab eo instanti cepit illuc migrari, quamuis nondum illuc peruenisset.

**Hierony.
Cyril.
August.
Psal. 67.
Ephes. 4.**

Euseb.

Ignat.

Obiectio

Durand.

Responso.

Ab instanti mortis Christi anima sanctorum Patrum letæ esse cœperunt.

Secun-

*Anima Christi
fili ad infer-
num de lapsa
damnatorum
animas ab
inferis non
liberauit.*

Secundo certum est, animam Christi descenden-
do ad inferos non eduxisse de locis inferni animas
ad eterna supplicia damnatas, neque illis beati-
tudinem contulisse (sub damnatis comprehendimus et-
iam pueros in solo originali decedentes: quia licet in
pœnæ modo ab alijs differant: tamen in æternitate
pœnæ damni eadem est de illis, ac de cæteris ratio.)

*Dubium.
Greg. Naz.*

*August.
A. 2.*

Clem. Alex.

1. Pet. 3. & 4.

Nicetas

*Irenæ
Cyprian.*

*Supplicia
damnatorum
æterna.
August.
Philast.*

Matth. 25.

Et hoc sensu assertio posita est communis Sancto-
rum, quos supra citauimus, & Theologorum in 3.
d. 22. Sed antequam illam probemus inquiri statim
potest, an sit certa de fide. Et ratio dubitandi esse po-
test, quia Gregor. Nazianzen. orat. 42. l. 2. de Pascha-
te agens de descensu Christi ad inferos, sub dubio
reliquit, *Virum omnes sine vlla exceptione aduentu suo
saluos fecerit, an illic quoque eos duntaxat, qui credide-
runt.* Et Augustin. Epist. 99. ad Euodiu, propter lo-
cum Act. 2. *Solutio doloribus inferni, non dubitat affir-
mare, quin præter animas sanctas, quæ in Sinu Ab-
rahæ quiescebant, Christum liberauit aliquas ex ijs,*
quæ dolores inferni patiebantur: incertum tamen
relinquit, *An omnes, quos in eis doloribus inuenit, libera-
uerit, an quosdam, quos illo beneficio dignos indicauit.* De-
inde Clem. Alex. 6. lib. strom. ante medium scribit,
Christum descendendo ad inferos, etiam damnatis
prædicasse suum aduentum, ac fructum eius, si in i-
psum crederent, ijs præsertim, quibus in hac vita
non fuerat prædicatum, propter verba Petri. Ca-
non. cap. 3. *In quo (id est in spiritu) & his, qui in carcere
erant, spiritu veniens prædicauit, qui increduli fuerant ali-
quando, quando expectabant Dei patientiam in diebus
Noe.* Illi enim qui increduli fuerunt in diebus Noe,
damnati sunt, ergo potuerunt aliqua anima dam-
natæ credere Christo in inferno prædicanti, ideoq;
inde educi. Vnde ca. 4. subdit Petrus. *Ideo & mortuus
prædicatum est Euangelium, ut iudicentur quidem secun-
dum hominem in carne.* Eademque sententia habetur
in oratione de defunctis, quæ Damasceno attribui-
tur. Et in quibusdam Patrum historijs (vt Nicetas
refert super Gregor. Nazian. dicta orat. 42.) legitur,
Platonem apparuisse cuidam Christiano, qui ei sæ-
pè maledicebat, & conuitijs lacerabat, atque dixisse.
Ego quidem me peccatorem esse non inficior: verum, cum
Christus in infernum descendit, nemo ante me ad fidem ac-
cessit. Quin potius referunt etiam Irenæ. lib. 1. con-
tra hæres. capit. 29. & Epip. hæres. 24. Marcionem as-
seruisse Christum descendendo in infernum omnes
animas damnatas liberasse: & (quod stultissimum
est) sanctorum Patrum animas ibi reliquisse, quod
prædicationi eius, quam in inferno habuit, fidem
adhibere noluisse. Tandem aliqui existimarunt
nostra suffragia posse valere damnatis ad aliquam
pœnæ remissionem. Multorum etiam opinio fert,
Traiani Imperatoris animam orationibus sancti
Gregorij fuisse ab inferni pœnis ereptam: propter
Damasceni auctoritatem in oratione de defunctis,
vbi id refert de Falconilla similiter ab inferno libe-
rata orationibus sanctæ Theclæ. Quid ergo mirum,
quod Christus descendens ad inferos animas dam-
natas liberauerit?

Nihilominus respondeo conclusionem positam,
intellectam secundum ordinariam legem, atque v-
niuersaliter de omnibus damnatis (vt possit esse lo-
cus alicui priuilegio) esse certam de fide. Propter
quod August. lib. de hæres. in 79. inter hæreses po-
nit, quæ assertit, Christo descendente ad inferos cre-
didisse, incredulos, & omnes inde liberatos, sequen-
tus Philast. lib. de hæresib. cap. de descensu Christi
ad inferos. Et satis constat ex vniuersali consensu
totius Ecclesiæ, & omnium sanctorum Patrum lo-
cis supra citatis, & ex testimonijs Scripturæ, quæ iam
asseremus. Nam in primis Scripturæ docent pœnas
damnatorum esse æternas, Matthæ. vigesimo quin-
to. *Ite in ignem æternum, & inferius, Et ibunt hi in sup-
plicium æternum.* Ergo etiam pœnæ eorum, qui ante
Christi aduentum damnati sunt, sunt æternæ. Nam

de omnibus loquitur generaliter Scriptura, ergo
non omnes liberati fuerunt à Christo. Quia si om-
nes fuissent liberati à Christo, omnium pœna tem-
poralis fuisset. Et hoc argumentum conuincit, se-
cundum communem legem diuinæ iustitiæ nullam
ex illis animabus fuisse inde eductam, quia hæc est
lex lata, vt, *vbi cecideris lignum, ibi maneat, siue ad au-
strum, siue ad aquilonem.* Item quia huius vitæ tempus
concessum est hominibus ad comparandam, vel a-
mittendam æternam vitam, & ideo, qui hic non fuit
vñs medijs concessis à Deo ad fidem, & gratiam ob-
tinendam, secundum legem ordinariam consequi
salutem non potest. Tandem quia alias peioris con-
ditionis fuissent homines, qui nunc damnantur,
quam qui ante mortem Christi: non ergo eduxit
Christus ab inferno animas damnatas. Et in hunc
sensum interpretantur Augustinus & Gregorius su-
præ illud Osæ 13. *O mors, ero mors tua: morsus tuus ero
inferni.* Dicitur enim Christus interemisse mortem,
quia omnino illam extinxit, & perpetuam vitam
hominibus obtinuit: infernum autem tantum dicitur
momordisse, quia non omnino illum euacuauit,
sed quandam ei partem duntaxat eripuit. An vero
ex speciali priuilegio sua voluntate, & arbitrio ali-
quem damnatum è gehenna Christus eduxerit, du-
bitari quoquo modo potest. Nam licet videatur te-
merarium hoc affirmare contra generales regulas
Scripturæ sine fundamento, vel auctoritate, simpli-
citer tamen non videtur esse erroneum, vel hæreti-
cum. Quia non est de fide, generalem illam legem,
nullam dispensatione, priuilegium vè admittere. Et
iuxta hæc possent intelligi Nazianzenus & Augusti-
nus supra citati, quæquam Nazianzenus non videat
illa scripsisse verba, quoniam de hac veritate du-
bitaret, sed solū vt proponeret quid de hoc myste-
rio inquirere, ac scire oporteat. Augustinus vero re-
cte potest intelligi de animabus purgatorij, vt infra
dicemus. Ad Clementem Alexand. respondetur ea
in re deceptum, atq; ex parte sequutum fuisse errorem
Marcionis, quem merito Irenæ. & Epip. impugnât,
Ad Damascenum respondetur, illam orationem fal-
so imponi ei.

Ad rationem dubitandi sumptam ex loco Petri, *Testimonij*
omnino falsa & absurda est illa intelligentia, histo-
riaque de Platone, & similes apocryphæ censendæ. *1. Pet. 3.*
sunt. Quia in inferno nulla est redemptio [vt Eccle-
sia sentit.] Non est ergo ille status, vt in eo de nouo
applicetur per fidem, & amore redemptio Chri-
sti. Non igitur prædicauit Christus damnatis, vt spẽ
salutis illis præberet. Verba autem D. Petri, (quæ
obscurissima sunt) varijs modis exponuntur. Augu-
stino. 99. existimat Petrum non loqui de descensu
Christi ad inferos, nec de prædicatione Christi fa-
cta per animam assumptam: sed de prædicatione
facta ab ipso Deo per spiritum suum in diebus Noe.
Vnde quod Petrus dicit, Christum *in spiritu* prædi-
casse, non intelligit Augustinus in anima, vel per a-
nimam, sed in diuinitate sua, vel *in spiritu*, id est spi-
rituali modo per internam inspirationem. Quod
vero dicit, prædicasse *spiritibus*, quæ in carcere erant,
Augustinus exponit, id est, animabus hominum,
quæ in corpore mortali tanquam in carcere erant
inclusæ. Quam expositionem magis probauit D. Thom. hic artic. 2. ad 3. Est tamen creditu difficilis,
primo. Quia multa verba exponuntur improprie,
& per translationem, cur enim dicitur Christus in
diuinitate venisse ad prædicandum in diebus Noe?
Proprie enim venire non potuit secundum localem
mutationem, vt per se constat, neque vero etiam
improprie ratione alicuius effectus. Quem enim
singularem effectum in incredulis tunc habuit, vt
ea de causa venisse dicatur? Deinde per carcerem in-
terpretari corpus, valde metaphorice est, & Ori-
genis sapienter errorem, eò vel maxime, quod Petrus
dicit mortuis prædicasse Christum, quod exponere
de mor-

Eccles. 12.

*August.
Orig.
Osæ 13.*

1. Pet. 3.

August.

D. Thom.

de mortuis spiritualiter per peccatum, valde violentum est, præsertim cum illos mortuos ab hominibus viuis Petrus distinguat, & ibidem in hoc sensu dicat, Christum esse iudicem viuorum, & mortuorum. Denique non placet hæc expositio, quia iuxta illam non potest litera connecti, nec reddi ratio, cur Petrus repente, & absque vlla occasione illius prædicationis fecerit mentionem.

Propter quæ reliqui Patres frequentius explicant locum hunc de descensu Christi ad inferos (vt annotauimus præcedenti disputatione, sectione 1.) & optime quadrat cum contextu. Dixerat enim Petrus, *CHRISTVS semel pro peccatis mortuus est, iustus pro iniustus, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu.* Vbi spiritus, cum carni opponatur, animam manifeste significat. Alia vero lectio habet, *Mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu.* Et iuxta illam est sensus, Christum, vt nos redimeret, mortificatum fuisse secundum carnem: non autem secundum spiritum, id est, secundum animam, quæ viua semper, & gloriosa permansit. Subdit deinde, *In quo, scilicet in spiritu (ad illum enim euidenter fit relatio) id est, in anima veniens prædicauit eis, qui in carcere erant, spiritu, id est, secundum animam: vel (vt alia litera habet) his qui in carcere erant spiritibus.* Quæ verba optime, ac proprie intelliguntur de animabus, quæ erant in inferno. Et accommodari etiam possunt animabus sanctorum Patrum, quæ suo modo etiam erant in carcere, vt supra vidimus. Merito autem Petrus mentionem fecit huius descensus Christi, vel vt declararet, quomodo viuificauit spiritu etiam eos, qui mortui erant secundum carnem, vel vt magis declararet, quod dixerat, Christum mansisse viuum secundum spiritum, quandoquidem in illo descendit ad inferos, & Euangelistam egit. Sed difficultatem habent sequentia verba, scilicet, *Qui increduli fuerant aliquando.* Sensus enim est, Christum prædicasse in inferno illis animabus, quæ tempore Noe incredulæ fuerant. In quibus verbis est duplex difficultas. Prima quæ proprie ad nos pertinet, in quo statu essent illæ animæ. Secunda, cur Petrus illarum fecerit specialem mentionem, cum Christus ad omnes animas eiusdem status æquæ descenderit. Ad primam autores supra citati dicunt, fuisse ex animabus damnatis. Sed hoc non colligitur ex verbis Petri. Nam licet illæ animæ fuissent aliquando incredulæ, scilicet cum fabricaretur arca Noe, cuius prædicationi, & diuinis combinationibus credere noluerunt, donec penam diluuii expertæ sunt: tamen postea conuerti potuerunt, poenitentiam agere, ac saluari. Imo Petrus ad aduersam illam particulam aliquando, clare indicat eas non semper perseuerasse in ea incredulitate. Deinde statim cap. 4. dicit eos mortuos, quibus euangelizatum est, iudicatos fuisse secundum hominem in carne, id est, poena diluuii fuisse castigatos in corpore, viuere autem secundum spiritum, non ergo fuerunt damnati. Alij ergo dixerunt, illas animas fuisse in purgatorio, in quo vsque ad descensum Christi ad inferos detentæ sunt propter duriciam suam, & incredulitatē. Christum autem illuc descendentem eis prædicasse, easque specialiter liberasse. Ita exponit Turrianus lib. 4. pro epistolis Pontificum c. 14. vbi ex hoc loco contendit probare locum purgatorii. Quia Sinus Abraham non potest proprie dici carcer, nec locus tenebrosus, qualis significatur fuisse locus, ad quem descendens Christus mortuis prædicauit, vt colligitur ex Isaia 49. vbi hæc Christi prædictio videtur describi illis verbis. *Vt diceret his, qui vincti sunt, Exite, & his qui in tenebris sunt, Reuelamini.* Sed hæc non est sufficiens probatio: tum quia verius est (vt supra dixi) locum illum sanctarum animarum fuisse tenebrosum: tum etiam, quia illi Sancti poterant dici esse in tenebris non solum sensibilibus, sed etiam spiritualibus, quia lumine gloriæ, & visione Dei carent. Fr. Suarez, tom. 2.

rebant. Et eadem ratione dici poterant fuisse in vinculis, quia in eo loco detinebantur, & ab ingressu Patris, & celesti loco exulare cogeantur: propter quod merito etiam dici possunt fuisse in carcere. Præterea per se videtur incredibile illas animas tot annis fuisse in penis purgatorii. Adde incertum esse, an Christus ex purgatorio aliquos eduxerit.

Melius ergo, & facilius dicitur, has animas fuisse ex illis iustis, qui erant in Sinu Abraham. Sed cur Petrus illarum in particulari mentionem fecit, cum Christus omnibus, qui ibi erant, dixerit, *Exite, Reuelamini.* Bellarminus supra respondet, Petrum fecisse horum mentionem, quia de illis erat maius dubium, an essent salui necne. Sed hæc ratio non satisfacit, quia oportet explicare, quid referret ad intentionem Petri, & epistolæ contextum hoc dubium tollere. Magis enim dubium est, an Salomon fuerit ex illis iustis, quos Christus liberauit, & infinita dubia possunt agitari, de quibus Petrus ibi mentionem non fecit. Igitur retinendo vulgatam lectionem in illis verbis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu, ex eis videtur huius rei ratio sumenda. In toto enim illo capite Petrus consolatur fideles, & animos addit ad patiendum pro Christo, & tandem summam rationum in eo posuit. Quod licet mortificemur carne, id est, in corpore affligamur, & puniamur: tamen per Christum saluamur in spiritu. Hanc ergo rationem voluit illustri exemplo declarare, ac persuadere. Nulli enim videntur magis mortificati in carne, quam illi, qui tempore diluuii aquis diuinæ iustitiæ submersi sunt: tamen multi ex illis in fide Christi spiritu vixerunt, & ideo Christus illis vna cum Sanctis aliis prædicauit, veniens in infernum. Et ita etiam optime intelliguntur verba cap. 4. *Propter hoc enim, & mortuis euangelizatum est, vt iudicentur secundum hominem in carne, id est, vt more hominum, qui corpus possunt interficere, & animam, puniantur in carne: viuunt autem in spiritu.* Neque prædictæ expositioni obstat, quod multi codices præsertim Græci non legant, *Mortificatus carne, & viuificatus spiritu:* sed, *Mortificatus & viuificatus.* Quam lectionem supponit etiam Aug. dicta epist. 99 & eodem modo legit Rufinus in expositione symboli, & Idacius Clarus lib. 3. contra Varimadū. Non (inquam) obstat, quia emendatiores codices habet prædicto modo, vt videre licet in Biblijs Complutensibus, & in alijs. Et idem existimo olim fuisse in Græcis codicibus: nam ita legit iuxta Theodori Pelagiani translationem Petrus Alexandrinus in lib. de Deitate, & refertur in Concilio Ephesino tom. 2. c. 7. & Cyril. lib. 1. de fide ad Theodosium, & lib. 2. ad Reginas, prout habentur in eodem concilio, c. 4. & 6. Et reuera, si contextus per se consideretur, magis quadrat hæc lectio, & verba ipsa, præsertim illud, *viuificatus spiritu*, melius ac proprius de nobis dicuntur, quam de Christo. Hæc ergo videntur sufficere ad fundandam dictam expositionem.

Ad alia vero exempla, quod ad effectum suffragiorum attinet, falsum est habere locum in damnatis, vt recte D. Thom. docuit in 4. d. 45. q. 2. ar. 2. De qua re, Deo dante, dicemus in 4. tomo huius 3. part. Ad illud vero speciale de Traiano (si vera est ea historia) dicendum est cum Scholasticis illum non fuisse simpliciter damnatum ad infernum, neque immediate translatus ad beatitudinem: sed reuocatum ad hanc vitam, vt poenitentiam ageret. Verius tamen est, illam historiam non esse probatæ fidei: quia tota nititur autoritate Damasc. & tamen opus illud, q. Damasc. tribuitur, merito creditur non esse præcibus illius. Non quidem, quod Damasc. sit antiquior Gregorio (vt existimauit Medina hoc loco art. 6. sequutus Trithemium: verius enim est Damasc. vixisse tempore Iconomachorum imperante Leone Isauro, & sub Gregor. 2. de quo late Bilius in vita Damasc.) sed propter rationes, scilicet, quia in oratione habet

Discursus
Petri Apo-
stoli in ca. 8.
epistola sua
canonica
prima.

August.
Ruffin.
Idac. Clar.

Theo. Pel.
Pet. Ale.
Con. Eph.
Cyr. Ale.

Traianum
peratorum ani-
ma non est
Gregorij Pa-
precibus
ab inferni
panis erepta

Qq

tur alia

Turrian.

Isai 49.

Damasc.
Greg. Pap.
Ioan. Dia.
Bellarm.
Canus.

Dubium.
Respons.

D. Thom.
Philip.

Dubium.

Bonavent.

tur, alius error supra reprobatus, & contrarius doctrinæ eiusdem Damasc. lib. 2. de fide c. 4. Item quia incredibile est Gregor. orasse pro Traiano Imperatore, cum ipse lib. 34. Moralium c. 13. doceat non esse orandum pro damnatis. Item quia Ioannes Diaconus in vita Gregorij lib. 2. c. 44. dicit, illam historiam in Ecclesia Romana nunquam fuisse existimatum dignam fide. Quæ omnia latius persequitur Bellarm. lib. 2. de purgatorio c. 8. & attigit Canus lib. 11. de locis cap. 2. Sotus in 4. d. 45. q. 2. art. 2. Atque eadem responsione expeditur exemplum aliud de Falconilla. Sed quæres, an Christus habuerit in damnatis aliquem alium effectum. Respondet non habuisse effectum in eis propter eorum commodum, aut perfectionem, nec ut eorum penas leniret. Omnia n. quæ hæc adduximus, hoc totum probant, quia illæ anime indignæ sunt omni bono, præsertim illæ, quæ sunt in gehenna. Habuit tamen Christus in illis animabus eum effectum, quem D. Thom. ponit. Nam se ipsum secundum animam illis manifestavit, & ut se adoraret, compulit, ut generaliter verum sit illud. *In nomine Iesu omne genu flectatur, celestium, terrestrium, & inferorum.* Vnde consequenter factum est, ut & Christus earum malitiam, & pertinaciam reprehenderit, & ipsæ ex superbia novam quandam afflictionem, inindiamque persenserint. Quæ omnia de proprie damnatis ad gehennam intelligenda sunt. Nam de animabus puerorum (ut dixi in commentario artic. 2.) res est valde dubia, de qua sufficiunt, quæ ibi diximus.

Tertio, & ultimo superest dicamus de animabus purgatorij. In quibus certum est Christum habuisse aliquem effectum illuminationis, gaudij, & consolationis, ut in commentario art. 8. explicatum reliquimus. Quod ergo in dubium vocatur, est an statim fuerint per Christum liberatæ à pena, & ad sinum Abraham, beatitudinemque traductæ. In qua re nihil est certum, & ideo tres vel quatuor sunt Catholicorum sententiæ. Prima affirmat Christum liberasse omnes animas, quas in purgatorio inuenit. Hæc tribui solet Bonau. in 3. d. 22. q. 5. Vbi tamen de purgatorio nihil dicit: interdum vero videtur huic sententiæ suffragari, quatenus generatim ait, liberasse ab inferno omnes electos: tamen interdum videtur potius contrariæ sententiæ favere. Nam expresse dicit, *quod Christus solum ad limbum descendit: vnde Sanctos Patres eripuit: & ita ad supremam partem inferni non ad mediam, vel ultimam.* Citatur etiam Marf. in 3. q. 15. art. 2. dub. 3. ubi refert in hanc sententiam Thom. de Argent. ipse vero valde dubius est, licet tandem in hac parte inclinet. Quia est (inquit) *magis pia.* Eandem tenet Maior in 3. d. 22. & inclinat Gabr. ibi, dub. ult. indicans hanc esse communem sententiam doctorum: quæ obscure tractat supplementum Gab. in 4. d. 45. q. 1. art. 1. ubi prius dicit Christum euacuasse sinum Abraham, omnes & singulos qui ibi erant, liberando: & ita exponit, & Sanctos dicentes Christum liberasse de inferno suos electos, intelligendos esse de electis qui nihil expiandum habebat. Postea vero subdit Christum liberasse singulos de purgatorio. Quæ verba vix intelliguntur, nisi fortasse velint liberasse aliquos & non omnes. Præterea in hanc sententiam inclinât Sotus d. 15. q. 1. art. 1. & Gerf. alph. 8. liter. F. ubi dicit forte Christum purgatorij euacuasse. In eandem sententiam adduci potest Tur. li. 4. cont. Magd. c. 12. quamuis ipse indehænte loquatur de animabus purgatorij: loci vero scripturæ quos adducit, non probant, ut supra dixi. Potest tamē aliquo modo fundari hæc sententia in verbis Eccles. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes in Domino.* Quæ verba de sapientia incarnata, & de descensu eius ad inferos multi intelligunt, & inter eos D. Th. sed animæ purgatorij numerantur inter dormientes sperantes in Domino: ergo, Et idem argumentum

fumi potest ex Gregor. lib. 13. Moral. c. 20. dicente, Christum descendendo ad infero liberasse omnes electos: & fufius Aug. serm. 137. de tempore, De electis suis nullum apud inferos reliquit: omnia abstulit, utique electa: illos rapuit, quos suos fide & actibus cognouit. Et præterea idem Aug. ep. 99. propter locum Actor. 2. *solutus doloribus inferni*, necessarium existimat dicere Christum liberasse aliquos ex his qui penas inferni patiebantur, præter eos qui erant in sinu Abraham. Quod de animabus iatum purgatorij sine errore dici potest. Et idem habet 12. Gen. ad lit. c. 33. expressius vero docuit hanc sententiam Ansel. in Elucidario, ubi inquirens quam penam haberent iusti in inferno ante Christi descensum: respondet quosdam fuisse tantum in tenebris, quosdam vero etiā in quibusdam penis, quod non potest intelligi nisi de animabus purgatorij, & tamen infra subdit, *Omnes absoluit, & in gloriam duxit Rex gloriæ.* Et ita exponit illud Isai. 49. *Dicens iis qui vinclati sunt, Exite, & iis qui in tenebris sunt, reuelamini:* ubi per vinclatos intelligit eos qui erant in penis. Potest tamen addi coniectura, quia in die triumphi & victoriæ solet concedi venia vinclatis, præsertim his qui non sunt rei mortis, quique gratiam & benevolentiam apud Principem inuenerunt. Item solet Deus propter orationem iusti liberare animam à purgatorio: quid ergo mirum, quod eo die ad Christi voluntatem & petitionem fuerit purgatorium euacuatum? Et similes congruentiæ facile possunt excogitari.

Secunda sententia extreme contraria est, Christum à purgatorio descensu suo liberasse nullum, qui non iam ex integro luisset penas. Nam si aliquos fortasse reperit, quorum purgationis tempus in illo momento, quo Christus descendit, vel certe eo tempore quo in inferno fuit completum est, illos sine ulla dubitatione liberauit, tamē, ut supra dicebam, qui huiusmodi fuerunt non tam à purgatorio, quam à sinu Abraham erepti sunt. Et pro hac sententia potest referri Bonaventura, & eam videtur tenere Viguer in institut. ca. 16. §. 4. vers. 30. & potest suaderi, quia communiter sancti solum dicunt descendisse Christum ad infernum, ut eriperet antiquos Patriarchas, & Prophetas, ac alios iustos, qui erant in sinu Abraham, ut expresse tractat Cyrill. Ierosol. catach. 4. Gregorius autem, & Augustin. in priori loco exponi possunt de his qui nihil habebant purgandum. Vel quod eduxerit omnes, non quod statim omnes beatificauerit, sed quia omnibus contulit, ne detinerentur in Limbo expectantes beatitudinem: quam tamen singulis dedit statim, ac inuenti sunt absque personali aliquo reatu. Augustin. vero in alijs duobus ultimis locis aliter locutus est: quia nondum intellexerat sinum Abraham esse locum subterraneum & partem inferni: quod postea alijs locis docuit, ut supra vidimus, & ideo non cogimur illi credere in citatis locis, cum ex falso fundamento processerit. Quo destructo verba illa Petri, *solutus doloribus inferni*, recte intelliguntur de sanctis Patribus, quia etiam illi in inferno erant, & dolorem de carentia beatitudinis, & dilatione redemptionis habebat. Eo vel maxime quod verba illa iuxta aliam expositionem supra traditam, de Christo possunt intelligi. Locus autem ille ex Ecclesiast. 24. quamquam non constat ad litteram intelligi de sapientia incarnata, & de descensu eius ad inferos, potius quam de sapientia increata, quæ sua providentia omnia visitat, tamen hoc dato nihil inde probari potest: quia ibi solum dicitur sapientiam illuminasse omnes sperantes in se: illuminatio autem latius patet, quam glorificatio. Vnde verissimum est illuminasse etiam animas purgatorij, earumque spem auxisse & nouum gaudium contulisse: non tamen inde fit eas liberasse, ergo neque in scriptura, neque in patribus est aliquod sufficiens fundamentum ad asse-

ad afferendum Christi liberasse omnes animas purgatorii: ergo cum aliunde stet lex generalis diuinæ iustitiæ, ut qui in hac vita non satis fecerit, in alia satisfaciatur: non potest sine fundamento Scripturæ, & Sanctorum Patrum aliquid probabiliter affirmari, quod huic legi iustitiæ repugnet. Et confirmatur primo, nam coniectura illa de die triumphi, & similes, sunt valde infirmæ, præsertim ut dicamus Christum generaliter dispensasse in hac lege iustitiæ. Alias eadem ratione dici posset dispensasse cum damnatis, saltem cum in fantibus, eisque immediate sua applicuisse merita, etiam si in hac vita non fuerint applicata. Satis ergo fuit ad ostensionem suæ victoriæ & triumphi, quod omnibus iustis contulit noua gaudia, & aliquo modo beatitudinem iuxta vniuersiusque dispositionem, aliis scilicet in re, aliis in proxima spe. Confirmatur secundo, quia aliqui melioris conditionis fuissent illi homines mortui ante Christum, quam aliqui qui in lege gratiæ moriuntur, quod est contra perfectionem status legis gratiæ, & sine vlla sufficiente ratione. Curenim Christus descendens ad inferos omnibus illis animabus poenam gratis remisit, & regnans in cælo non eandem indulgentiam concedit omnibus qui in ipso moriuntur? Deinde inquiri, an eduxerit omnes animas, quas in purgatorio inuenit, cum primum illuc descendit, an vero omnes etiam illas quæ illuc descendebant, quandiu ipse in inferno mansit. Neutrum enim videtur conuenienter & consequenter dici. Quis enim credat nullam animam, etiam si descenderet onerata grauiusimarum poenarum reatu, purgatam esse, quandiu Christus fuit in inferno, sed statim glorificatam solum propter præsentiam eius in loco illo. Ac si illa præsentia esset nobilior & efficacior, quàm præsentia quam habet in cælo. Aut quo modo potest consequenter dici liberatas fuisse eas quæ antea erant, cum nulla fere sit maior vel diuer-
ja ratio?

Vnum tamen video posse ad hæc omnia responderi: & potest esse tertius dicendi modus, Christum scilicet eduxisse omnes animas è purgatorio, non tamen sine sufficiente compensatione, & solutione poenæ pro culpa. Potuit enim fieri ut diuturnitas temporis minueretur, ita tamè ut grauitate & acerbitate poenæ compensaretur. Hoc enim modo & legi iustitiæ satisficeret: propter Christi gloriam augendam maior captiuorum numerus inferno eriperetur. Sed contra hunc modum (præter nouitatem eius) retorqueri possunt omnes rationes factæ. Inquiri enim, an tanta poenæ diuturnitas sit certa lege statuta, nec ne. Si non est, ergo nihil est de nouo concessum his animabus propter Christum. Si est vnde constat in ea lege iustitiæ esse dispensatum? Item vel istis animabus fuit commodius acerbiora pati breuiori tempore, vel non. Si non: Quodnam beneficium illis contulit Christus? Si vero fuit commodius: cur non confertur nobis simile beneficium propter Christum iam glorificatum, & ostendentem Patri vulnera suæ passionis, quod illis collatum est propter Christum descendente ad inferos? Tandem, vel in commutatione seruata est omnimoda æqualitas, vel non. Si non, sine causa ponitur, quia necessario afferendum est dispensatum esse in lege iustitiæ, & id quod deerat, solutum esse ex satisfactionibus Christi. Et contra hoc procedunt omnes rationes factæ. Nam idem dici potuisset de totius poenæ remissione. Si vero dicatur, seruatum esse æqualitatem, id quidè difficile intelligitur, quia dilatio beatitudinis vix potest sola poenæ sensus compensari. Vel certe, si fuit æqualitas, nulla fuit necessitas, nec ratio ob quam illa commutatio fieret.

Ultima sententia est media inter præcedentes, scilicet Christum non eduxisse omnes animas è purgatorio, aliquas tamen liberasse. Hæc est mens D.

Fr. Suarez. tom. 2.

A Thom. hic artic. 8. ad 1. quamvis reuera D. Thomas non omnino id affirmet, nam sub disunctione loquitur: vnde ad veritatem sententiæ eius sufficeret prior modus, scilicet quod Christus eduxit eos qui iam perfecte soluerant. Tamen Caiet. hic, & alij Thomistæ intelligunt D. Thomam in sensu copulatiuo scilicet Christum eduxisse animas, quæ vno vel alio modo aptæ erant ad exitum. Et videtur reuera mens Diui Thomæ, quem sequutus est Durand. in 3. disputat. 22. quæst. 4. & Paludanus quæst. 3. Authores quoque aliqui citati in prima sententia nihil aliud dicunt, cum loquantur indefinite de animabus purgatorii, præsertim Gabriel & Turrianus. Et prior pars negatiua huius sententiæ satis probata est ex dictis in secunda opinione. Posterior vero sit probabilis ex dictis in cõmentar. artic. 8. Nam sicut Christus dominus hic viuens quibusdam remisit peccata speciali gratia, & liberalitate, & moriens similem latroni impertiuit gratiam, & postea resurgens quosdam secum suscitauit, non tamen omnes: ita verisimile est aliquibus animabus purgatorii hoc beneficium contulisse propter aliquam specialem rationem meriti, & deuotionis. Item suffragia, & orationes Sanctorum iuuant animas purgatorii, ut citius liberentur: ergo multo magis iuuare poterit Christi oratio, si illa speciali titulo eo modo iuuari merentur. Ergo simili modo credibile est sua voluntate, & petitione aliquas tunc liberasse, quæ ad hoc magis erant dispositæ.

In hac re (ut fere citati Theologi docent, & spe. Richard. cialiter Richard. in 3. disput. 22. artic. 3. quæst. 2.) vix potest definitum ferri iudicium, cum res sit valde incerta pendens tantum ex humanis coniecturis, quæ in omnem partem facile accommodari possunt. Tamen inter omnes opiniones, sententia D. Thomæ videtur maiorem speciem probabilitatis, simulque pietatis, ac iustitiæ diuinæ congruentem rationem habere.

SECTIO IV.

Ad quæ loca inferni Christus descenderit, quantumque ibi moratus sit.

Hæc duo sub vno titulo comprehendimus, quia breuiter possunt expediri. Circa priorem ergo partem certum est descendisse ad Sinum Abraham, qui erat proprius locus iustorum: difficultas vero est de cæteris locis. Quidam enim probabile existimant descendisse Christum: ad locum gehennæ, & damnatorum, & consequenter ad cætera loca. Ita opinatur Bellarmin. libro. 4. de Christi anima cap. 16. propter verba Sapientis Ecclesiast. 24. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, inspiciam omnes dormientes. Nam licet D. Thom. artic. 1. ad 1. hæc verba explicet de penetratione secundum effectum, tamen non videtur satisficere, ut supra in fauorem Durandi argumentabamur. Quia alias dici posset ad nullum locum aliter descendisse, quam per effectum, cum scriptura æquè de omnibus loquatur. Adducit præterea quædam Patrum testimonia dicentia, Christum descendisse, ad locum doloris, ex Augustin. epist. 99. In quo peccatores torquebantur. Fulgentio libro 2. ad Thrasimundum. cap. 30. Quique est dominum magna illius mentis, ut loquitur Emisenus orat. 1. de resurrectione, & similia. Adiungi præterea potest coniectura. Quia Christus in omnibus inferni locis aliquid operatus est, sed perfectior modus operandi, magisque connaturalis est per realem præsentiam. Item in morte sua declaratus est Christus, dominus viuorum, & mortuorum, ita ut omnes etiam demones, & damnati ad eius regnum pertineant, eiusque potestati subditi sint, ergo oportuit,

vt sua præsentia veluti possessionem regni sui caperet, ac de omnibus triumpharet.

D. Thom.
Bonauent.
Richard.
Gab.
Palud.
Marfil.

Contraria sententia est communis Theologorum, D. Thom. hic art. 2. & in 3. distinct. 22. vbi Bonauent. Richard. Gabr. Palud. & Marfil. quæst. 13. & reliqui in hoc conueniunt, quod ad locum damnatorum non descendit, ad locum autem purgatorii quidam eorum censent probabile descendisse, si verum est inde aliquos liberasse. Qui Theologi nullam aliam probationem adducunt, nisi quod potissima, & adæquata ratio, ob quam Christus ad inferos descendit, fuit, vt sanctos Patres visitaret, & consolaretur, vsq; eos inde educeret. Hanc enim rationem illius descendus reddunt omnes Patres supra citati. Vt videlicet, præsertim in Cyrill. Ierosolymitano cat. 4. Damasc. lib. 3. cap. vltimo. Rufino in expositione symboli, & Tertulliano lib. de Anima. Et reuera scripturæ hanc potissimam causam assignant, ergo verisimile est tantum descendisse in illum locum, in quo Sanctorum animæ existerant. Vnde August. dicta epist. 99. Nulla (inquit) causa occurrit, cur illo venisse credatur Saluator, nisi vt ab eis (id est inferni) doloribus saluos faceret. Ergo ex sententia Augustini ad nullum locum inferni descendit Saluator, ex quo neminem erepturus erat. Confirmat hoc D. Thom. hic art. 8. in argumento, *Sed contra.* Quia non decebat Christum ad locum damnatorum descendere, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Iob. 10. *Quæ enim conuentio lucis ad tenebras? Christi ad Belial?* 1. ad Corinth. 6.

Cyrril. Ieros.
Damasc.
Ruffin.
Terim.

August.

D. Thom.
Iob. 10.
1. Cor. 6.

Anima
Christi non
descendit in
irriduo ad lo-
cum damna-
torum.

In hac re censeo primam sententiam, quamuis noua appareat, non esse tamen temerariam: neq; omnino improbabilem. Quia non desunt illi apparentia fundamenta, & contraria non fundatur certa autoritate, sed dubijs coniecturis: multo tamen probabilius videtur Christum non descendisse saltem ad locum damnatorum. Primum quidem propter communem consensum Scholasticorum: deinde, quia nulla apparet sufficiens ratio, cur illuc descenderit. Est enim præter supra dicta considerandum, Christi animam non descendisse ad infernum solum propter effectum, vel propter alios, sed quodammodo propter se, supposito ordine diuinæ providentiæ. Quia cum illa anima à corpore separata alicubi futura esset, nullus erat pro illo statu aptior locus, in quo existeret. Erat enim ille locus ex diuina providentia deputatus pro animabus sanctis vsque ad consummatam hominum redemptionem, & Christi resurrectionem: ideo ibi debuit anima Christi etiam collocari, donec iterum corpus assumeret. Noluit enim sine illo supra terram ascendere. Hac autem ratio optime declarat, Christum descendisse ad Sinum Abraham. Ad gehennam autem nullam habuit occasionem descendendi, quia neque ille locus erat accommodatus ipsi, neque effectus, quem ibi habuit, hoc requirebat. Quia totus fuit per modum loquutionis, seu cuiusdam manifestationis. Vt autem vnus spiritus cum altero loquatur, seque illi manifestet, nulla loci propinquitas necessaria est. Deinde vt Rex possessionem regni capiat, non perambulat omnia loca, etiam vilia, & abiecta, sed in ea ciuitate, quæ est caput regni, in qua maxime residere decet, totius regni suscipit gubernacula. Igitur vt Christus omnibus damnatis, ac demonibus dominaretur, eosque terreret, & sibi genua flectere compelleret, nec necessarium, nec expediens fuit, vt ad eorum teterrimum locum descenderet. Et hæc de loco damnatorum. Quæ pari fere probabilitate procedunt de loco puerorum. Quia licet in illa non sint horror, & inordinatio, quæ in loco damnatorum, tamen etiam non congruebat Christo. Ac præterea, quia adhuc est incertum, an Christus sese manifesta-uerit, his pueris vel aliquid eis contulerit, & si quid contulit, non pertinuit ad eorum salutem, aut spiri-

tualem profectum, sed solum ad recognitionem domini Christi, ad quem effectum satis, superq; erat locutio, & spiritualis præsentia secundum cognitionem. De loco vero purgatorii res est magis dubia, tamē etiam probabilius censeo, Christum ad illum non descendisse. Primum, quia existimo non eduxisse omnes animas à purgatorio, & si aliquas eduxisset non in purgatorio, sed in Sinu Patrum glorificasse. Atqui vt eas illuc adduceret, non oportuit, vt ad locum purgatorii descenderet, sed vt suam voluntatem ac imperium manifestaret. Ad illuminandas vero cæteras iam diximus, non esse necessariam propinquitatem loci, ergo cum alias nec loci qualitas, & conditio esset Christi animæ accommodata, nec ex parte animarum, quæ ibi purgabantur, esset ea congruitas, quæ erat in animabus Patriarcharum & Prophetarum, non oportuit Christi animam illuc descendere.

Christus in
irriduo ad
purgatorii
non descen-
dit.

Nec locus adductus ex Ecclesiast. 14. difficilem habet expositionem. Primo quidem, quia non constat, ibi ad literam esse sermonem de Sapientia incarnata. Secundo, quia licet hunc locum interpretemur de descensu per effectum, tantum habetur, ex hoc solo loco non probari sufficienter Christum descendisse ad inferos secundum realem præsentiam, ex quo non sequitur aliquid in fauorem Daradi. Nam ex aliis locis scripturæ necessario conuincitur, Christi animam ad aliquem locum inferni vere, ac realiter descendisse. Tercio respon- etur, de Christo dici penetrasse omnes partes terræ, quia non solum ad superficiem eius descendit, sed etiam vsq; ad infernum terræ locum penetrauit: non autem oportet, vt eum in locum quoad omnes eius sinus quoquoersum irruperit. Sicut cap. decimo septimo dicit Iob. *In profundissimum infernum descendit omnia mea*, vbi Gregorius libr. decimo octauo, c. decimo septimo, alias 22. adnotat, Iob non fuisse descensurum vsq; ad infernā inferni partem: totum vero illum locum comparatione nostri dici profundissimum infernum. Iam vero locus Augustini ad summam procedit de purgatorio, vt euidenter probatum est, cum dicat non descendisse, nisi ad eum locum, ex quo animas eduxit. Et adhuc quoad hoc procedit Augustinus in epist. ex eo fundamento, quod existimabat Sinum Abraham non posse dici locum inferni, & dolorum, cuius contrarium ex eodem Augustino, & alijs Patribus satis ostendimus. Et ita etiam constat, cætera Patrum testimonia de eodem loco sufficienter intelligi. Coniecturæ vero probando nostram sententiam expeditæ sunt.

Responso ad
argumenta
in oppositū.

Iob 17.
Greg. Epist.

Circa posteriore partem quæstionis nulla fero est difficultas, suppositis ijs, quæ diximus. Vnum tamen inuenio Nicephorum lib. 1. Historiæ, cap. 31. dicentem eadem die, & hora, qua Christus descendit ad inferos, rediisse secum ducentem Sanctorum animas, & cum eis ad Paradysum transisse. In quam sententiam citat Chrysostomum, nullum tamen locum designat, solumque adducit coniecturam. Quia non erat rationi consonum, animam eius apud inferos retinere, quæ nihil prorsus de primi parentis maledictione, & exitio secum attulisset: & ideo subito, ac in momento vno ad tabernacula Paradyfi immensa luce relucencia transiisse. Et confirmari potest ex illis verbis Christi, *Hodie mecum eris in Paradyso*. Quæ ad literam, & in sermonis proprietate verificari possunt de Paradyso terrestri, etiam si fateamur Christum vere, & secundum realem præsentiam ad inferos descendisse. Potuit enim eadem die prius descendere, & statim paulo post ad Paradysum transire secum ducens latronis animam, ergo ita exponendus est ille locus. Nam scriptura sacra, quando proprie exponi potest, non est ad metaphoras detorquenda. Et ita intelligit illud locum Iustinus quæst.

Infin.
Iren.
Euthym.

quæst. 76. ad Orthodoxos, & indicant Irenæus, & alij antequi, qui existimant, animas hominum expectare in paradyso terrestri, vsque ad corporum resurrectionem, vt suam beatitudinem recipiant: præsertim ita exponit Euthym. in fauorem illius sententia, Luc. 23.

Responsio.
Christi anima per triduum in inferno fuit.
Matth. 12.

Nihilominus veritas est: Christi animam in inferno fuisse toto illo triduo, donec ascendit, vt corpori vniretur hora resurrectionis. Veritatem hanc non minus certam existimo, quam quod Christus in infernum descenderit. Nam loca scripturæ supra citata, vtrumque eodem fere modo conuincunt, præsertim ille Matth. 12. *Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Quod dictum esse ratione animæ descendens ad inferos, supra ex ipsis verbis, & ex sanctis Patribus ostendimus: & tamen ibi non solum dicit Christus se descensurum in cor terræ:

Psalm. 15.
Act. 2.

sed etiam ibi per triduum futurum. Idem probant verba Psalm. 15. prout exponuntur à Petro Act. 2. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Nam prodicens (inquit Petrus) loquutus est de resurrectione Christi.* Igitur non est ibi derelictus, quia exiuit inde, vt resurgeret, ibi ergo vsque ad resurrectionem mansit.

Rom. 10.

Vnde eodem loco ait Petrus. *Quem Deus suscitauit, solutus doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat, teneri eum.* Tunc ergo solutus est à loco inferni, quâdo suscitatus est. Ac tandem Paulus ad Roman. 10. *Quis (inquit) descendit in abyssum? id est Christum à mortuis reuocare.* Ac si aperte diceret, tunc Christum ex abyso reductum, quando à mortuis reuocatus est. Constat ergo ex scriptura, Christum mansisse in inferno vsque ad horam resurrectionis, quam ita etiam intellexerunt omnes Patres supra citati. Inter quos manifeste August. epist. 57. dicit animam ex inferno remeasse in die resurrectionis. Vnde ex dictis verbis Christi, *Hodie mecum eris in Paradyso*, colligit in inferno fuisse paradysum. Item Iren. lib. 5. contra Hæres. c. 31. & Tertul. lib. de anima c. 55. ac Petrus Chrysolog. serm. 64. explicans verba illa, *& ecce terram motus factus est magnus.* (quæ de die resurrectionis dicta fuerunt) inquit. *Tremuit terra, non quia angelus descendit de celo, sed quia ab inferno Dominator ascendit.* Denique omnes Scholastici in 3. d. 12. in hac veritate consentiunt Rationes vero, seu congruentiæ ad hoc confirmandum: ex priori parte huius sectionis sufficienter peti possunt.

August.
Luc. 21.
Irena.

Tertul.
Chrysost.
Matth. 18.

Orig.

Ad coniecturam Nicephori respondetur, Christi animam non fuisse detentam in inferno in pœnam: sed solum, vt expectaret corporis sui resurrectionem, quam oportebat aliquo tempore differri, vt eius veritas euidentius probaretur. Et eadem ratione detentæ sunt etiam aliorum animæ, non iam in pœnam: sed vt Dominum suum comitarentur: & quia non decebat ante ipsum aliquem exire. Ad illud vero testimonium, *Hodie mecum eris in Paradyso*, Origenes tom. 2. in Ioannem in fine dupliciter respondet. Primo, illud *hodie*, non sumi proprie pro presenti die, sed pro præsentis tempore, vel seculo. Sed hoc est contra proprietatem verbi, & sensum Sâctorum, & Ecclesiæ. Secundo, fortasse Christum prius iussit ad Paradysum, vt impleteret promissum, & deinde descendisse in infernum. Sed hoc est gratis confectum contra omnia in superioribus tractata.

Aliter interpretabantur alij, quos Theophyl. refert, scilicet Christum dixisse, *hodie*, non quia eodem die id futurum esset, sed ad indicandam certitudinem promissionis. Sed hæc expositio non solum proprietatem verborum destruit, sed etiam veritatem. Verba enim Christi non continent prophetiam de futuro, in quo solet interdum præsens pro futuro poni, sed simplicem promissionem, quæ si non fuit impleta, prout facta est, non fuit vera. Alij exponebant, coniungendo dictionem *hodie*, cum antecessibus verbis, hoc modo, *Amen dico tibi, hodie mecum eris, &c.* sed est elusio potius scripturæ, quam inter-

Fr. Suarez tom. 3.

pretatio. Sicenim sine fructu adiecisset Christus illam temporis determinationem, in qua posita est magna vis, & energia illorum verborum. Quia enim latro petierat, vt Christus recordaretur sui, quando veniret in regnum suum: ideo Christus eum docuit eodem die fuisse implendam petitionem eius. Dicendum ergo est, iuxta superius tractata. q. 46. art. 11. in commen. paradysum in illis verbis non sumi pro paradyso terrestri: sed pro gloria, ac beatitudine: iuxta illud Apocal. *Vincenti dabo edere de ligno vite, quod est in paradyso Dei mei.* Dices: Si licet metaphoricè interpretari paradysum, cum Christus dicit se futurum in paradyso, licebit etiam metaphoricè interpretari infernum, vel descensum, cum Christus dicitur descendisse in infernum. Respondetur, non esse eandem rationem. Primo, quia ex frequentiori vsu illius vocis *infernus*, tam in nouo quam veteri testamento, item ex multitudine testimoniorum, & ex eorum contextu, & circumstantijs, ac denique ex Ecclesiæ, ac Sâctorum sensu, & interpretatione constat, descensum ad inferos proprie esse intelligendum: at vox *paradyso*, licet in primæua significatione locum amœnum, vel pomarium significet: tamen in scriptura, præsertim in nouo testamento translata est ad significandum locum beatitudinis: vt patet etiam 2. ad Cor. 12. Ac præterea ex circumstantijs eiusdem loci constat ita esse intelligendum. Quia latro non petebat esse in pomario: sed in regno Christi, & hoc illi promisit Christus sub nomine *paradyso*, simul significans latroni regnum suum non esse de hoc mundo, sed in cælesti beatitudine. Et ita etiam ibi interpretantur Ambrosius, Theophylactus, & alij expostores.

QVÆSTIO LIII.

De resurrectione Christi, in quatuor articulos diuisa.



Consequenter considerandum est de his, quæ pertinent ad exaltationem Christi. Et primo, de eius resurrectione. Secundo, de eius ascensione. Tercio, de eius sessione ad dexteram Patris. Quarto, de iudiciaria potestate ipsius.

Circa primum occurrit quadruplex consideratio. Quarum prima est de ipsa Christi resurrectione. Secunda, de qualitate resurgentiæ. Tertia, de manifestatione resurrectionis. Quarta, de eius causalitate. Circa primum queruntur quatuor.

Primo, de necessitate resurrectionis eius.

Secundo, de tempore.

Tercio, de ordine.

Quarto, de causâ.

DISPUTATIO XLIV.

In octo sectiones distributa.

De resurrectione secundum se.



Qst tractatum de Christi passione, & morte incipit D. Thomas consequenti ordine de Christi resurrectione differere. Quia vero resurrectionis ratio vniuersalis est (Christo enim, & aliis conuenire potest) necessarium visum est, nonnulla præmittere resurrectioni Christi, nostræque communia. Quoniam ex eorum cognitione pendet fere omnia, quæ de Christi resurrectione tractanda sunt. Dicemus ergo quid nomine resurrectionis intelligamus, & an possibilis sit, & qua virtute.

SECTIO I.

Quid sit resurrectio, quæne sint ad veram resurrectionem necessaria.

Qq 3

Inqui.